110

47369/B
B. XIII

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30508988

41635

# COMPENDIVM HISTORIAE MEDICINAE A RERVM INITIO AD HADRIANI AVGVSTI EXCESSVM

*AVCTORE*

IO. HENR. SCHVLZE

PHIL. ET MEDIC. DOCTORE ET PRO-
FESSORE PVBLICO IN REGIA
FRIDERICIANA.




*HALAE MAGDEBVRGICAE*
apud CAROL. HERM. HEMMERDE.
1 7 4 1.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

# PRAEFATIO
## AD
## BENEVOLVM LECTOREM

EDendi compendium aliquod hiſtoriæ medicinæ, quod fata artis ſalutaris noſcere cupienti breui tempore ſatis-

faceret, haud nuper demum mihi natum fuit conſilium, ſed omnino a pluribus annis animo inhæſit. Nam cum viderem iſtud, quod ante hos XIII. annos emittebam, plenioris hiſtoriæ initium, quod ad annum vrbis Romæ IↃXXXV. deductum eſt, amplius deſignatum eſſe, quam vt tironibus, quibus neceſſaria eligere & connectere haud ſemper datum eſt, inſeruiat: præuideamque futurum, vt, quæ plures partes ſubſequuturæ ſunt, potius maiorem rerum cum medicina connexarum copiam, quam

an-

antiquiora illa tempora oblatura ſint, quarum probatio & amplum ſubinde & ſæpe interpolatum ſcribendi genus requiret: putaui conſultiſſimum me facturum, ſi aphoriſtica breuitate paucis complecterer, quæ ad rem maxime pertinere, ſcituque inprimis neceſſaria exiſtimarem. Nam quæ addita ſunt maiori operi teſtimonia, ad comprobandum adſerta noſtra, haud parca manu ſubiuncta: ea vt apud prouectum eruditumque lectorem, qui noſtra recognoſcere dignabitur, gratiam habitura

videntur; ita tironi non niſi pauca inſeruire poſſunt, quum de bibliothecis ipſorum, ſtudiorumque ratione exſpectari vix poſſit, quod in adductis iſtis euoluendis & expendendis tempus poſſint collocare. Atque adeo iam pridem, & ante viginti annos in vſum auditorum exaratum, iisdemque tunc exhibitum huius hiſtoriæ compendium ſub incudem reuocandum cenſui, multis locis multa addidi, correxi, ſuſtulique non pauca, de quibus me ſubſequens dies aliter edocuit. Erat autem conſilium ita duas æqua-

quales mole partes efficere; vt quælibet earum intra ſemeſtre tempus commode poſſet auditoribus explicari. Priori parti tres libros deſtinaram, quibus complecterer omnia, quæ ante Arabum tempora arti acciderunt; tribus poſterioribus deſtinaueram Arabum atque barbara vniuerſa tempora, ortum deinde cultioris artis, poſtquam litteræ Europam felici ſidere illuſtrarunt, potioraque, quæ per tot gentes ad excitandam medicinam ſuſcepta & peracta fuerunt, indeque ortas

 fere

fere innumerabiles artis adhuc hodie indies mutabilis metamorphoſes atque interpolationes, quæ vsque ad præſentis ſeculi XVIII. initia acciderunt.

Enimuero contigit, vt me quidem atque typographo propoſitum acriter vrgentibus incideret res, quam mutare neutiquam poteram. Nam cum Septembris initio liber ſecundus ad exitum decurreret, corripiebar febri, quæ mox initio ſuo inſidioſa videbatur, tantoque magis mihi ſuſpecta eſſe debebat, quum in aliis, quos ea-

eadem detinuerat, pertinaciam eius cognouiſſem. Quid facerem? melius videbatur, imperatam quietem commodo loco capeſſere, quam fruſtra luctari aduerſus adflicti corpuſculi vires.

Statuebam itaque finem hic facere, primisque diebus, cum vacuo die aliquantulum valerem, chronologicam tabulam, pridem quidem cœptam, perficiebam. Deinde ad indicem conuerſus ſocia opera vſus ſum optimarum litterarum atque medicinæ diligentiſſimorum cultorum, Erneſti

Antonii Nicolai, & Io. Sam. Huberi, quorum induſtria haud parum ſubleuatus ſum.

Erat iam ante annum mihi firmum, renouare aliquos libellos ad hiſtoriam medicinæ vtiles, ſed ita raros, vt omnino fruſtra ſit, eos in tabernis librariis quærere, cum in magnis etiam bibliothecis deſiderentur. Hos inter primum locum mereri mihi videbatur doctiſſimi medici Pariſienſis RENATI MOREAV æque rarus ac lectione dignus libellus de miſſione ſanguinis in pleuritide,

vbi

vbi demonſtratur, ex qua corporis parte detractus ille fuerit a duobus annorum millibus, ex omnium pene medicorum Græcorum, Latinorum, Arabum, Barbarorum exacta enumeratione, iuxta temporum, quibus floruere, ſeriem inſtituta. Eius deſiderio multis annis flagrans, cum Altorffi eſſem, leuabar beneuolentia quondam illuſtris collegæ IOANNIS IACOBI BAIERI, vniuerſitatis Altorffinæ ſenioris meritiſſimi & academiæ naturæ curioſorum directoris, deinde præſidis longe gra-

uiſſi-

uiſſimi, qui me libris ex inſtructiſſima ſua bibliotheca liberaliter ſæpe adiuuit. Inde digreſſus carui libro, nec ſemel grauiter moleſteque tuli, quod deſtitutum me illo videbam. Poſſem multos commemorare, qui publicis ſcriptis de præſtantia eius, deque ſuo deſiderio illum ad manus habendi teſtati ſunt. Ne vero ſim longior, ad vnicum dimitto virum clariſſimum, & elegantiſſime doctum DANIELEM WILHELMVM TRILLERVM, archiatrum Naſſouicum, qui in venuſta commentatione de pleuritide, qua ſuperiori anno rempublicam medicam donauit, vtrumque ſatis clarum facit, & quanti hunc libellum facere debeamus, & quam

quam moleſte tulerit, quod ipſi commentanti ad manus ille non fuerit. Tanto enim ſtudio in cuiusuis medici, quem adducturus erat, ætatem inquiſiuit, vt pridem iam pro chronologia illuſtrium medicorum hanc commentationem eruditi adhibuerint. Cogitaui itaque, haud paruam me initurum eſſe apud elegantes medicos gratiam, ſi typographo illam dialexin typis renouandam exhiberem, quum prius non ſine induſtria perlegiſſem, quæ aperta errata erant, ſuſtuliſſem, typorumque diuerſitate effecerim, vt nunc ſperare poſſim, ſore. vt iucundior lectio futura ſit. Addidiſſem ipſam Petri Briſſoti epiſtolam ſatis longam, qua ſuam

ſuam ſententiam propugnat, niſi me duo retinuiſſent. Alterum eſt, quod argumentum ſuum docte quidem & exquiſite explicauit & aduerſus alia omnia ſentientes defendit; verum iſtiusmodi rationibus, quibus hodie, poſt circulationem ſanguinis feliciter detectam, vix quisquam videtur multum eſſe tributurus. Deinde autem ex Moræi ipſo libello iucunde breuiterque cognoſci poteſt, quicquid Briſſotus ampliſſimo iſto ſcripto complexus fuit. Quare equidem certo perſuaſum habeo, propter artem ipſam Briſſoto hodie nos parum egere, propter hiſtoriam legere eundem cupientibus ſumma fide ſatisfeciſſe Moræum. Supereſt, vt pauciſſi-

ciſſimis TE moneam, quid ſibi velint in fronte libelli exhibita numorum ectypa. Dicendum fuerat, quod Romam medicinæ Græcanicæ multæ partes peruenerint, & initio quidem religioſæ: Apollinis ſcilicet, cui in peſtilentia ædes pro valetudine populi vota fuerit. Huius itaque momenti hiſtoriæ Romanæ veſtigium mihi viſus ſum inuenire in raro, qui penes me eſt, Aciliæ gentis numo, cuius alteram partem Apollo facie iuuenili, dependentibus capillis, maxime vero lyra ſua conſpicuus exornat; poſterior eius facies omnino eſt ſimillima alii pridem noto atque obuio, in quo Valetudo ſtans columnæ innixa atque draconem tenens conſpicitur. Curaui igi-

igitur & huius cum Apollinis facie, & alterius pridem noti, cum capite SALVTIS, ectypa ad clariſſima exempla fieri. Ceterum quid docti viri de auerſæ partis inſcriptione ſenſerint, quamque varia viſa aliis aliisque fuerint, neque opus eſt hic longo ſermone repetere, neque tempus nunc permittit. Si intellexero, laborem hunc doctis viris haud omnino diſplicere, tironibus autem, & quibuscunque non vacat magnos libros euoluere, vtilitatem adferre, ſatis mihi magnum operæ pretium feciſſe videbor, & ad ea, quæ ſuperſunt, tanto diligentius elaboranda incitabor. Vale.

Halæ Magdeburgicæ die III. Octobris clↄ lↄccxxxxi.

COM-

# COMPENDIVM HISTORIAE MEDICINAE.

QUum animum induxerim, artis ſalutaris fata, ortum, progreſſumque, a rerum initio ad tempora noſtris proxima, breui libello conſignare; totius huius tam longi temporis decurſum in aliquas quaſi ſtationes diſpeſcere viſum fuit, vt lectori iuſtam rerum ſeriem memoriæ mandaturo ſuccurram, atque interquieſcendi illis moris tædium continuæ narrationis minuam.

Viſum igitur fuit, omnem hanc tractationem in quinque libros digerere. Primo exponam de antiquiſſima medicina, qualem illam ante Hippocratis tempora fuiſſe intelligimus. Secundo dicam de Hippocrate Coo, & quæ deinceps vſque ad Galenum



lenum

lenum acciderunt. Tertio ipſum Galenum exhibebo, quæque conſequuta ſunt vſque ad illa tempora, quibus Arabes colendam & conſeruandam medicinam ſuſceperunt. Quarto recenſebo Arabes & ab iis deductos viros, vt & ceteros, qui artem aliunde, quam ex fontibus Arabum, hauſtam propinauerunt, vſque ad renaſcentes litteras. Quinto ſubiungam medicinæ ad Græcorum mentem expolitæ & renouatæ fata, ac deinceps potiores eius acceſſiones, in nouas formas mutationes atque interpolationes, adiiciam, quæ vſque ad ſæculi a nato Chriſto XVII. finem acciderunt.

Dabo quidem operam, vt in exponendo de his tot tantisque rebus ab ordine temporum, quo quæuis geſta ſunt, quam minime recedam: quoniam vero dicendorum rationes cum multis, quæ prægreſſa ſunt, ſubinde cohærent & implicatæ ſunt: ne temporum commemoratione crebriori continuus ſermo interrumpatur, excogitaui illud conſilium, vt, non veteri quidem exemplo continuam narrationem contexam, ſed in ſegmenta, numeris ſuis deſignanda, eam diſpeſcam, quo commodius remittere lectorem poſſim ad ea, quæ alio loco iam dicta ſunt.

Fini-

Finito autem quouis libro ſubiungam laterculos chronologicos, quibus ducibus conſtare etiam illis, quibus aliæ occupationes requirendi otium negant, de temporum rationibus poſſit.

Quoniam autem non ample diductam hiſtoriam ſcribere animus fuit, ſed compendium, quo duce auditoribus explicanda ſit omnis hæc hiſtoria: veniam facile conſequar, ſi probationes ſingulorum factorum, quæ adduxi, aliorumque, quæ adſerui, hic plerumque omiſero. Si vitam deus otiumque tribuerit, vt recenſeam, quæ de hiſtoria medicinæ ante hos duodecim annos edidi, ceteraque eodem, quo id opus cœptum eſt, modo ſiloque ſubiungam: ſtudebo vtique efficere, vt nihil, quod a fide & induſtria proficiſci poteſt, deſideretur.

# LIBER PRIMVS
## DE MEDICINA ANTIQUISSIMA, ANTE HIPPOCRATEM COUM.

## CAPVT PRIMVM
### DE MEDICINA ANTEDILUUIANA.

I. DEVM medicinæ verum auctorem multis ex cauſſis pie recteque dicimus. Condidit hominem, medicinæ ſubiectum, corpus membris ſuis inſtruxit, atque firmarum fluidarumque partium inter ſe connexas & implicatas rationes ita ſapienter prouideque inſtituit, vt naturæ ſint ſui conſeruatrices, morborum medicatrices. Mentem corpori impoſuit intelligentia præditam, quæ indaget ad vitam ſanitatemque conſeruandam, morbosque auertendos atque ſuperandos, facientia. Abunde etiam multa & varia ſuppeditauit vitæ præſidia, morborumque remedia.

II. Fieri non poteſt, quin fateamur, primos parentes humani generis primos eſſe medicinæ inuentores. Primarum enim & præcipuarum rerum, quæ ab experientia innoteſcunt de ſtatu corporis ſano & affecto, primi fuerunt conſcii experiendo facti: videnturque effectus ſæpius viſos & obſeruatos memoriæ mandaſſe & ad

ad natos poſterosque transmiſiſſe. Sic phyſiologiæ, pathologiæ & hygieines initia cum ipſis videntur hominibus orta: chirurgiæ etiam, certe obſtetriciæ eiusdem partis, antiquitas ſumma intelligitur.

III. Multum experiendi facultatem attulit illis admirabilis longæuitas, per complura ſæcula decurrens. Conceſſit illam deus, vt hunc orbem habitatoribus celerius implerent: veroque ſimile eſt, in illa prima mundi ætate pauciores fuiſſe morborum cauſas: quas plures produxerunt, quæ modum nullum habent, gulæ luxuriæque irritamenta.

IV. Sunt autem aliqui, quibus longæuitatem primorum hominum arcanis quibusdam medicinis, chemiæ beneficio elaboratis, tribuere viſum fuit. Adeoque magna fiducia iactant antiquitatem chemiæ, ipſumque Adamum fornacibus adſediſſe & medicinam longæ vitæ excoxiſſe ſomniant.

V. Ne vero ſine ratione id videantur perhibere, oſtendunt nobis THVBALCAINVM, artis ferrum & æs tractandi peritiſſimum. Iam vero difficilius hoc ipſa auri argentique tractatione & elaboratione dicunt: indeque chemiæ indubium teſtimonium eliciunt.

VI. Porro hanc peritiam, humano ingenio ſuperiorem, illo certe æuo, rati, confingunt alii reuelationis ſubſidium a deo profectæ: alii, traditione, & apocryphi cuiusdam ſcripti auctoritate, nixi, ab angelis, cum feminis commercia habentibus, prodita hæc arcana & ad Caini poſteros deuoluta prædicant.

VII. Chemiæ etiam ſeorſim addictum perhibent ſanctum virum SETHVM; quem artes iſtas duabus columnis, aduerſus omnes fortunæ caſus duraturis, inſcripſiſſe aiunt. Falli autem eos, qui in iſtis de ſiderali ſcientia perſcriptum perhibent: iam enim tunc metalla planetasque nominibus communibus gauiſa; idque excogitatum eſſe, vt arcana tanto certius abſconderentur.

VIII. Quicquid de medicina primis hominibus innotuit, id omne periiſſet, niſi dei beneficio monituque vir ſanctus NOACHVS vniuerſale diluuium, cum ſua familia, effugiſſet. Hunc quoque incredibilem chemiæ magiſtrum perhibent, qui pabuli omnis quintas, vt vocant, eſſentias, in animalium omnium ſuſtentationem, inque ſuæ nauis illuſtrationem lucidiſſimum phoſphorum elaborauerit.

Atque hæc ſunt, quæ de medicina ante diluuium dici potuerunt, aut ab aliis perhibentur. Incidit autem illud in an-

num a mundo condito cIↄ Iↄcclv. qui fuit ante Chriſti ſeruatoris natiuitatem cIↄ cIↄ ccc xxix.

## CAP. II.

### DE MEDICINAE AEGYPTIORUM ORTU.

IX. A diluuio medicinæ maiorem etiam, quam antea vmquam, fuiſſe neceſſitatem, multa perſuadent. Inducta terræ ſuperficiei inæqualitas: aquæ passim ſtagnantes emiſerunt putridas exhalationes: omnis generis belluæ, & animalia computreſcentia, peſtilentia in aerem effluuia miſerunt: vini vſus cœpit, & carnium eſus vulgatus eſt. Sed nihil certi ſuppetit de medicinæ incrementis.

X. Chemiæ autem arcanas artes illico propagatas & Aegypto illatas tunc contendunt. *CHAMVM* enim Noachi filium ſorte obtinuiſſe Aegyptum & Africam, atque ab ipſo terram Chami, Chemiam, Chamiam, Chemmi, Hammon, aliaque nomina originem duxiſſe. Præter chemiam ipſum fuiſſe magiæ omnis periciſſimum contendunt.

XI. Chami filius erat MIZRAIM, omnium patris ſui artium particeps atque periciſſimus. Hunc ipſum, aut omnino patrem eius Chamum, aiunt, eſſe ZORO-

ASTREM antiquiſſimum: nam plures hoc nomine ſapientes viros in diuerſis gentibus, diuerſisque temporibus, fuiſſe, concedendum eſt, vt hiſtoriam vtcunque conciliemus.

XII. Medicinæ ſuæ inuentores Aegypti perhibent regem OSIRIDEM, qui & SERAPIS vocatur, atque in matrimonio habuit ſororem ſuam ISIDEM: quibus magiſter & conſiliarius fuerit THOTH, qui Græco nomine vocatur HERMES. Hic reginam, medendi beneficio mortalibus prodeſſe maxime cupientem, inſtituit. Oſiridem fuiſſe vxori in eo ſimillimum, vt de omni hominum genere cuperet optime mereri. Fuiſſe his coniugibus filium HORVM, medendi & vaticinandi artibus clariſſimum, quem Apollini Græcorum conferre licet. Datur etiam Hermeti aliquis diſcipulus, aut ſaltem ſocius, ASCLEPIVS, ſeu Aeſculapius.

XIII. Atque adeo res omnis tandem decurrit ad Hermetem, quem ter maximum, trismegiſtum, appellant, omniumque ceterarum artium inuentorem & magiſtrum faciunt. Seorſim autem chemiam ipſi ita vindicant, vt ab eius nomine hermeticam philoſophiam appellandam eſſe contendant.

XIV.

XIV. Enimuero difficillimum eſt, reuocare has, de medicinæ Aegyptiæ auctoribus, narrationes ad chronologicas rationes. Debent enim, ſi fides Aegyptiorum narrationibus habenda eſt, duodecies mille annis mundi creationem anteceſſiſſe: omnemque fidem ſuperat, quod per quater mille annos rerum in Aegypto potiti Oſiris cum Iſide, tantoque tempore Hermete conſiliario vſi fuerint.

XV. Oportet igitur & tempora multum contrahere, &, vt aliquo modo conſulamus antiquitati, Hermetes tres ſtatuere: quorum prior diluuio ſit ſuperior, forte Henochus aut Sethus: alter Chaldæus, Babylonius aut Phœnicius, tabulæ ſmaragdinæ, ſi diis placet, auctor: tertius denique Ægyptius.

# CAPVT III.

## DE VETUSTA AEGYPTIORUM MEDICINA.

XVI. Veterem Aegyptiorum medicinam requirentes, conſiderare oportet illa tempora, quæ Alexandri Macedonis imperium, & ab eo deductorum regum, præceſſerunt. Nam ſub illis multa Græcanici inſtituti acceſſerunt, quæ quidem ad medicinam in Aegypto, ſed non ad

Ægyptiorum indigenarum medicinam referenda ſunt.

* dicendum de fontibus, vnde hæc hiſtoria haurienda ſit: deque *Proſp. Alpini* libris.

XVII. Sacerdotum magna erat apud Aegyptios dignitas, & pinguibus gaudebant reditibus. Horum ordini adſcripti erant οἱ παςοφόροι, pallium gerentes medici: qui naſcebantur ex medicis, atque inter parentes & cognatos inſtituti, ad ſuam quisque particulam artis exercendam adhibebantur. Erant enim ſingulorum morborum ſinguli medici: nulli ſimul omnium curationem profitebantur aut ſuſcipiebant.

XVIII. Omnia artis præcepta comprehendebantur ſex libris, ab Hermete profectis. Hos ſequuti in curatione, culpa erant liberi, ſi hominem non ſeruaſſent: capitis iudicium ſubibant, ſi contrarium feciſſent. Ergo nihil hic ingenio aut iudicio artificis relinquebatur; ſcire eorum erat meminiſſe.

XIX. Qui magnifica omnia de eorum medicina ſperant & pollicentur, anatomen diligenter hic cultam nobis prædicant, quod inde potiſſimum probant, quia inſignis in Aegypto fuerit ſceletorum multitudo. Sed ſceleti iſti non ſunt intelligendi, oſſium humanorum repurgatorum

gatorum & artificioſe compaginatorum ſyſtemata, quæ apud nos id nomen gerunt, ſed lignea ſimulacra homini mortuo ſimillima: vt ex Herodoto & Plutarcho apertiſſime conſtat. Plinii teſtimonium de regibus, qui corpora mortuorum ad ſcrutandos morbos inſecuerunt, pertinet ad reges Lagidas, Græca ſtirpe ortos.

XX. Pollinctores Aegyptiorum non poſſe anatomicos peritos haberi, infra videbimus. Ne canem quidem aut felem in Aegypto interficere aut ſecare ſine piaculo licebat. Nihil itaque ſupererat huius ſtudii cupidis, quam vt in animalibus, ad ſacrificiorum aut culinæ vſus mactatis, curioſitati ſuæ ſatisfacerent.

XXI. Corpora animantium ex quatuor elementis conſtare docebant: ſingula elementa in marem ac feminam dispeſcebant. Corporis humani XXXVI. partes, totidem diis vel dæmonibus horoſcopi ſubiectas, ſtatuebant, a quibus ſana & morboſa earum conſtitutio producatur. Hos igitur carminibus placandos, herbis, quæ his numinibus ſacræ ſunt, vtendum, lapides eorum ſignaculis exſculptos adhibendos eſſe. Cor ſingulis annis, vsque ad quinquageſimum, increſcere, deinde iisdem gradibus diminui, perhibebant. Forte etiam

perſuaſionem de ſcanſili annorum lege primi animis fouerunt.

XXII. Qualis pathologia fuerit, ex dictis fere iam poteſt colligi. Morbos tamen etiam oriri ab aſſumtorum, in alimentum corporis, vitio, creduntur didiciſſe a pollinctoribus, qui ex defunctorum inciſis corporibus viſcera ſubinde valde corrupta extrahebant.

XXIII. Diæta Aegyptiorum ſimplicitate victus & frugalitate potiſſimum nitebatur. Carnium vſus erat vtique licitus, ſed aliarum in aliis prouinciis. Mactabantur vituli bouesque mares, nullæ feminæ: oues etiam, capræ, anſeres & piſces in victum concedebantur, etſi non omnibus & in quauis regione vniuerſa. Potus plerisque erat Nili aqua: ſed & vinum, in aliquibus prouinciis cultum, aut ab exteris illatum, vſibus permittebatur, vsque adeo ſacerdotum, quibus cetera erat adductius viuendum. Commemoratur etiam potus ex hordeo, quem ab Iſide in Aegypto inuentum plures ſcribunt.

XXIV. Corpori ab alimentorum vel abundantia vel vitio imminentes noxas auertere ſtudebant clyſteribus iniectis, quorum vſum mortales in Aegypto primum didicerint ab ibide aue, & potabilibus quibusdam purgamentis, vt & ieiuniis

iuniis ac vomitu, quibus ſingulis menſibus vtebantur, vel tribus diebus conſequentibus, vel triduum aut quatriduum interponendo: quæ res inde ad plures gentes emanauit.

XXV. De ſalubritate Aegypti, aerisque æquabili temperie, multi teſtantur: ſed noſtra ætate quotannis fere peſtilentiam ibi erumpere mirum eſt. An forte peſtilentia cauſas ibi habet, quæ olim non adfuerunt? aut aliquid omittitur, quo olim ſalubritas conſeruabatur? Admirationem certe meretur, cur in templis quotidie ter ſuffitum facere inſtituerint, mane quidem reſina, meridie myrrha, veſperi trochiſcis cyphy. Certe ſuffimenta, ad aeris nimium humidi vitia emendanda, plurimum valent: atque in Aegypto ſuccreſcunt morbi a reſiduis Nili aquis, in putredinem a feruidi ſolis calore commotis.

XXVI. Quæ ſigna in morborum decurſu prænoſcendo maxime obſeruauerint, ignotum eſt: certe quod lotii artes ex Aegypto venerint, probabilitate caret. Laudat Galenus eorum in prognoſi dexteritatem, aſtrologiæque ſubſidio videtur tribuere.

XXVII. Praxis eorum in genere commendatur, quia periculoſis medicamentis nusquam vtitur, ſed eiusmodi, quæ

æque

æque tuto capiantur ac cibi quotidiani. Singularia pauca vnus, quantum memini, AETIVS ex NECHEPSO regi tributis libris refert. Exemplo ſit chamæmelum, ex cuius floribus confectos trochiſcos adhibuerunt curationi febrium: atque lapis Syriacus, quem & Iudaicum vocant, quo ad calculos in veſica vſi ſunt. Vtriusque vſus fuit externus. Illos enim oleo dilutos, inungendæ ante febris acceſſum ſpinæ dorſi, adhibebant: hunc læuigatum regioni pubis imponebant. Ex quo illud ſimul intelligitur, quod externorum vſui multum tribuerint.

XXVIII. Seorſim laudatur nepenthes, quo ad iræ excandeſcentiam & mœrorem leuandum nihil præſentius dari poteſt. Videtur omnino aut opium fuiſſe Thebaicum, aut ex ipſo concinnata medicina compoſita.

XXIX. Venam Aegyptios ſecuiſſe, idque ab hippopotamo primum didiciſſe, legimus. Qualis reliqua eorum chirurgia fuerit, nondum reperire licuit. Id ſcio, ſub Græcis Aegypti regibus ad hanc diſciplinam amplificandam multa hinc prodiiſſe: ſed an nouiter adinuenta, an ab antiquis accepta & propalata, non audeo dicere.

XXX. Solebant frequenter ad Iſidis & Serapidis templa confugere, ibique

ſomni-

ſomniorum cauſa incubare: quod in Aeſculapii templo a Græcis etiam factum infra videbimus. Quin vniuerſa Iſidis & Serapidis religio, in Græciam & ad Romanos delata, pluribus locis attingenda erit: vbi de eorum imaginibus & inſignibus, vt & de Harpocrate, qui plerumque illis iungitur, diſſerendi erit amplior locus & commodior.

XXXI. Non medici quidem erant pollinctores Aegyptii, ſed perſonæ tamen ſacro ordini perinde adſcriptæ, vt medici. Quoniam autem noſtris moribus pollinctura a medicis adminiſtratur: meminiſſe decet antiquiſſimæ artis & illius profeſſorum. Præerat eorum ordini ſcriba, cum quo de ſumtibus tranſigendum erat. Idem locum inciſionis deſcribebat. Tum paraſchiſtes incidebat, quantum ſatis eſſet, quo facto ſe ocyſſima fuga proripiebat. Accedebant tum reliqui, eximebant viſcera, præter cor & renes, vacuumque locum vino palmeo & aromatibus perluebant.

XXXII. Hoc facto cadauer per ſatis longum tempus macerabant nitro Aegyptiaco: deinde cedria pice, aliiſque delibutum, myrrha etiam, cinnamomo aliiſque fragrantibus & conſeruationi aptis conditum inuoluebant faſciis ex tela byſſina, multum gummoſorum & glu-

tinoſo-

tinoſorum ſuccorum, præſertim ex myxa, inter faſcias admiſcentes. Tandem propinquis medicatum funus reddebant, monumento inferendum: cuius tamen perfecte ſimilem deformationem ex ligno factam, & picturis ornatam, ſimul exhibebant, domi in larario ſeruandam. Cuiusmodi ſunt illa, quæ a quibusdam perperam fuere intellecta, ſceleta. (§. 19.)

XXXIII. Modus condiendi non erat æque ſumtuoſus: ſed in aliquibus minori temporis & æris impenſa abſoluebatur. Fabulam eſſe puto, quod aloes ſuccus, atque crocus, magnas in ea partes habuerint.

XXXIV. Magna & antiqua ſatis fama euulgauit, Aegyptiorum ſacerdotes, ab Hermete edoctos, poſſediſſe miras chemiæ abſtruſioris & arcanas artes, eamque maximam, quæ ignobiliora metalla in aurum excoquit. Officinam, qua res tanta peragebatur, præbuiſſe Vulcani templum Memphiticum. Non immorabimur huic quæſtioni, quum alchemia iſthæc non magis ad medicum, quam ad pictorem, pertineat: & pridem diſputata ab aliis fuerit.

XXXV. Sunt tandem veterum teſtimonia, quæ in Aegypto omnia medicis eſſe referta: omnes ibi homines eſſe medicos, perhibent. Ex quo colligimus, vulgi aliquam

aliquam medicinam fuiſſe, qua ſibi quisque, ſuæque familiæ, conſulere ſolebat per diætetica remedia (§. 24.) & forte quædam alia ad auxilium promta. Quæſtum autem illis feciſſe, aut extra familiam mederi quemquam ſolitum, non licet exiſtimare, quoniam capitale erat, ſi quis vna plures exerceret artes, aut a paterna auitaque profeſſione migrans in aliam inuolaret.

## CAPVT IV.

### DE ALIARUM GENTIUM VETUSTA MEDICINA.

XXXVI. Præter Aegyptios aliæ etiam per Aſiam gentes magnam vetuſtatem iactant & medicinam hodieque habent, quæ in multis videtur ad Aegyptiæ ſimilitudinem proxime accedere. Ex his duas commemorabimus, de quibus plurimum cognoſcere licuit, gentem ſcilicet Malabaricam & Sinenſem. Pleraque quidem recentibus tantum ſcriptoribus credere oportet: ſed qui libros inſpexerunt earum gentium antiquiſſimos.

XXXVII. Malabarica gens Aegyptiis propior, videtur quondam commercia cum illis frequentiora habuiſſe per illud mare, quod Aſiam ab Africa disiungit,

& in Indiam proximum iter pandit. Sunt hodieque apud hanc gentem Bramines, quos Græci ſub Brachmanum nomine celebrabant. Hi medicinam, cum omnibus ſacris & litteris, habent, poſſident, exercent.

* M. *Jo. Erneſti Gründleri* medicus Malabaricus: nondum in lucem publicam editus, ex ipſiſſimis ſcriptis Malabaricis concinnatus.

XXXVIII. Diſcunt docentque eam ex antiquiſſimo libro, quem Wagadaſaſtirum vocant, quique ſex libris omnem artem medicam complectitur. Forte hi ipſiſſimi ſunt illi ſex Hermetici Aegyptiorum (§. 18.) aut certe non multum erunt diuerſi.

XXXIX. Theoriam admodum habent miſeram: anatomes omnium ſunt rudiſſimi. Quum nulli ſigno plus tribuant, quam pulſui, abſurdiſſimam habent de eius cauſa & ortu doctrinam, quæ vix commemorari meretur.

XXXX. Tres morbos principales, vnicuique congenitos, ſtatuunt; ventos, ſeu flatus in corpore: vertiginem, ſeu ſtoliditatem: ac denique impuritates humorum. Morbos in vniuerſum bis mille octingentos & quadraginta octo numerant.

XXXXI.

XXXXI. Curandi artem in octo claſſes diſpeſcunt, quarum cuique numen aliquod præficiunt, cuius nomine medicinas exhibent. Aſtris multum tribuunt. Curandis accuratiſſimas victus leges præſcribunt. Medicinis tam ſimplicibus, quam compoſitis admodum multis vtuntur, quæ idem homo præſcribit & præparat. Habent aliqua ex argento viuo, ſulphure, antimonio, aliis mineralibus & ſalibus, paranda, etiam ex metallis, coralliis & gemmis. Omnibus fere vel ſtercus vel vrinam vaccarum adiiciunt: forte ex ſingulari perſuaſione de ſanctitate huius animalis.

XXXXII. Quæ inde a Malabaribus per ampliſſimum imperium Mogulicum, vsque ad imperium Chinenſe habitant, Indiæ gentes, variis nominibus & linguis inter ſe quidem diſtinctæ, non obſcura tamen documenta dant, quod religionem & ſcientias ex Brahmanum inſtitutione hauſerint: quam alicubi cum Mahometiſmo, alibi cum Chriſtianiſmo miſcuerunt & interpolarunt. De medicina eorum antiquiſſima ſuſpicari licet, quod ab illa Aegyptiorum & Malabarum haud multum diſcrepauerit: ſed certa notitia ad nos non peruenit. Sæculo Chriſtiano ſecundo & nono erit eorum mentio repetenda.

XXXXIII. De Chinenſium atque Iaponenſium medicina ad nos aliqua retulerunt Europæi in illis partibus peregrinati: ex quibus ANDR. CLEYERVS & WILHELMVS *ten* Rhyne, medici, maximum fecerunt operæ pretium. Quæ ex libris eorum referunt, ſatis vtique produnt, quod antiquitatem medicinæ ſuæ inſignem iactitent, longe vltra diluuii tempora adſcendentem.

XXXXIV. Theoriæ eorum ſpecimen capias ex phantaſtica circulatione ſanguinis & ſpirituum, deuehentium humidum radicale & calorem primigenium per venas & vias duodecim membrorum ſpacio XXIV. horarum, quo tempore quinquagies circumuoluantur, ſecundum cœlorum per quinquaginta domos conuerſionem. Hæc eſt illorum circulatio, quam ſe a quater millenis annis nouiſſe iactant, illi, quam nos a centum annis nouimus, non magis ſimilis, quam ſunt piſces Zodiaci illis, qui in fluuiis & piſcinis noſtris natant.

XXXXV. Pulſum accuratiſſime & patientia ſumma obſeruant: inſuper etiam faciem & linguam conſiderant. His ſolis ſignis de morbo edocti, antiquum librum euoluunt, & cuiuis pulſui deſtinatum remedium quærunt. In hoc comparandi Malabaribus: quibus etiam ſimiles

ſunt

ſunt dandis medicinis ſimplicibus & plerumque decoctis.

XXXXVI. Chemica medicamenta ipſis nulla eſſe aliqui ſcribunt: alii non ignota oſtendunt & exemplo paſtillorum Tanzuc comprobant. Sed neſcio quam ſint illi antiqui: neque etiam aurum in illis, qui mihi obtigerunt, deprehendere potui, quod copioſe illis ineſſe aliqui ſcripſerunt.

XXXXVII. Minus honorato loco medici apud Chinenſes hodie habentur, quam apud reliquos Indos; forte hoc accidit ab eo, quod illa natio ſub Tataros redacta alienis nouisque legibus nunc viuere edocta eſt.

XXXXVIII. Pathologia ipſorum flatibus multum tribuit: quibus educendis & eliciendis multa moliuntur; quarum partem antiqui Scythæ, vt nos Hippocrates docet, ſequuti ſunt.

XXXXIX. Qualis antiquorum Chaldæorum, Perſarumque medicina fuerit, nemo ad nos transmiſit. Si Herodotum audimus, Babyloniis nulla fuit medicina. Perſas ex Aegypto in aulam aduocaſſe medicos, deinde Græcis vſos eſſe, infra audiemus.

L. De patriæ noſtræ antiquisſima medicina nihil videtur dici certum poſſe. Nam quæ de Oſiridis itinere ad

Marſum regem, deque medica, cum aliis artibus, ad nos allata traduntur, fabuloſa ſunt omnia. Druidas viſcum, quercui annoſæ innatam, magni feciſſe & ſua lingua ſic appellaſſe, tamquam omnia ſanantem diceres, Plinius ſat grauis auctor eſt: ſed non poſuit temporis certam notam. Originem honoris, qui annoſæ huic arbori habitus fuit, ad Abrahami tempora aliqui reiiciunt. Druidas autem vatum ac medicorum loco fuiſſe, non eſt dubium.

LI. Ad vetuſtiſſimam medicinam vtique pertinet, quicquid in viro diuino, MOSE, reperire licet medicæ arti tribuendum. Ipſum Aegyptiorum ſapientia omni imbutum fuiſſe, tamquam puerum, vt putabatur, regium, dubitari non poteſt. Quum ſe deinceps genti, ex qua ortus erat, tradidiſſet totumque adiunxiſſet, etiam id omne videtur conſequutus ab ipſis, quicquid ex auita traditione habuerunt.

LII. Videtur medicinæ poſſeſſionem Leuitis feciſſe perpetuam: quod perſuadent leges de leproſis. De reliqua medicinæ conſtitutione non liquet. Magnum chemicum faciunt ipſum atque ſororem eius Mariam. De hac quidem nihil certi eſt, quod documento ſit: illius factum nota-

notabile eſt, quo vitulum aureum combuſſit, vt ſolui in aqua & potui dari poſſet.

LIII. Quis *IOBVS* fuerit, aut quo tempore vixerit, non ita liquidis probationibus confici poteſt, vt non ſuperſint dubia. Moſi coæuum multi faciunt. Alchemiſtæ ſibi ipſum ſecure vindicant. Philoſophiæ naturalis profunda cognitio vndique ex illius libro elucet.

## CAP. V.

### DE DIIS MEDICINÆ GRÆCÆ AUCTORIBUS.

LIV. Græci, quicquid de ſuæ medicinæ auctoribus conſignauerunt, ad deos, deaſue referunt, aut ad heroas, qui a diis geniti mortales, meritorum magnitudine immortalitatem diuinumque cultum conſequuti ſint. Nihil autem, quod non plane fabuloſum ſit, ipſimet afferunt antiquius temporibus Argonautarum, quorum expeditio incidit in annum mundi 2721. ante Chriſtum natum 1263.

LV. Compluribus autem diis atque deabus tribuerunt Græci inuentionem ſuæ medicinæ, eiusdèmque præſidium. Sed inter principes deos huic beneficio præficiebant triplicem illam Iouis prolem,

 ex

ex Latona ſuſceptam, quam τρισσοὺς ἀλεξιμόρους, trinos malorum mortisque vindices, appellabant. Erant autem Apollo, Artemis ſeu Diana & Pallas, quam Mineruam Romani dixerunt: de quibus primum diſpiciemus.

LVI. Apollini tribuebant, quod crines ipſius ſtillent panaceam, quæ ſalubritatem omnibus regionibus & vrbibus afferat: quod arcu ſuo tela letifera impiis inferat, peſtilentiamque faciat: iisdem vero etiam morborum cauſas conficiat; quod medicinæ ſcientiam hominum quidem primo Aeſculapio, filio ſuo, dederit, ſed & aliis conceſſerit: quod moneat homines de faciendis recuperandæ ſalutis cauſa. Propter hæc beneficia accepit honorifica cognomina, vt vocetur οὔλιος, ἀλεξίκακος, σωτὴρ, ἐπικούριος.

LVII. Sub eius perſona ſolem adumbrarunt, qui ſerenus & blandus interdiu humiditates in aerem eleuat, quæ noctu decidunt roris forma; alio tempore in nubes coactæ, pluuiæ nomine ad terram redeunt. Noxii vapores peſtilentiam inducunt, quos vbi diſſipauit, & ſtagnantes paludum aquas exſiccauit, telis ſuis pythium ſerpentem confeciſſe, poetico more, perhibetur.

LVIII. Diana, Græcis Artemis, Apollinis ſoror, perpetuo virgo priſcis credita,

dita, arcu & ſagittis inſtructa, quare venatricem eam perhibent, caneſque ipſi fere adiungunt. Irata mortalibus peſtem iniicere credebatur. Seorſim autem in feminas ipſi ius magnum tribuebant, quarum grauiditati partuique præſideat. Hinc nomina λοχείας, Lucinæ. Vocatur etiam σώτειρα, οὔλιος, εἰλείθυια: item Hecate: quamquam vltimum nomen alii transferunt ad Proſerpinam, & Iunoni etiam Lucinæ ſeu Ilithyiæ nomen ac officium tribuunt.

LIX. Qui ſenſum fabulæ euoluere ſatagunt, Dianam eſſe lunam perhibent: in quam omnia ſic ſatis bene quadrant. Quamquam Epheſiorum Diana non tam lunam, quam vniuerſam naturam, videtur adumbrare.

LX. Pallas, ſeu Minerua, ex Iouis cerebro enata, itidem perpetuo virgo, omnium artium præſes & inuentrix: hinc etiam medicinæ. Ab Athenienſibus ſeorſim colebatur, apud quos epitheto ὑγειας, hoc eſt mineruæ ſiſpitæ, honorabatur. Commune eſt ipſi cum præcedentibus cognomen σωτείρας.

LXI. Exponunt, qui fabularum ſenſum euoluere ſatagunt, mineruam virtutem & effluuia ſolis & lucis, a quibus prudentia humanis mentibus ſubminiſtretur. Alii malunt prouidentiam Iouis, ſeu ſu-

premi numinis, intelligere. Adiungunt ipſi fere ſemper noctuam, atque arborem oleæ, quæ donum eius perhibetur.

LXII. Bacchum, quem & Iacchum, Græci Dionyſum vocant, Romani Liberum patrem, inter medicinæ inuentores referri, mirum videri non debet: quum in mythologia veteri a ſole non diuerſus ſit: adeoque omnia, quæ in Apollinem delata ſunt, huic etiam conueniant. Vitis & hedera ipſi tribuuntur. Aliqui ipſum titulo *σωτῆρος* honorarunt. Omnium maxime inuoluta & obſcura eſt eius hiſtoria.

LXIII Mercurio, quem Græci Hermetem vocant, medicinæ inuentionem Aegyptios tribuiſſe, ſupra vidimus (§ 12 13.) quo minus mirandum eſt, ſi alibi eiusdem cauſa honores meruit. Sed inuenio illos maxime ipſi hoc nomine addictos, ad quos Phœnices primum appulerunt, interque eos conſederunt; vt Bœotios omnes, apud quos Trophonii nomine cenſebatur. Sed præter hos etiam Meſſenii & Tanagræi Mercurium colebant *κριοφόρον*: quod vrbes ſuas a peſtilentia liberaſſet, circumlato in murorum ambitu ariete.

LXIV. Quin Plutonem etiam & Iunonem inferam, hoc eſt Proſerpinam, numini-

minibus medicis accenſuerunt. Illos conſulturi antrum charonium ſubibant: de quo Strabonem libr. XIV. oportet conſulere: vbi de ſacerdotibus, de antro ipſo, deque toto negotio diſſeritur.

LXV. Tandem etiam Prometheus refertur inter deos medicinæ auctores. Sub eius fabula adumbrata ſiſtitur hominis ſollertia, quæ vitæ incommoda omni ſtudio a ſe amoliri conatur, & irrequieta cogitatione in illud aſſiduo fertur: vnde adamantinis vinculis petræ alligatus perhibetur, cum vulture, hepar eius perpetuo exedente.

## CAP. VI.

### DE HEROIBUS MEDICINAE AUCTORIBUS, VEL LAUDE EIUS CELEBRIBUS CIRCA ARGONAVTARVM TEMPORA.

LXVI. Heroes in priſcorum ore illi vocabantur, qui, quum mortales eſſent homines nati, poſt præclariſſima geſta, vbi mortali corpore exiiſſent, in cœlum recepti exiſtimabantur, honoribusque diis ſimilibus afficiebantur. Fabulæ talibus plerumque diuinam originem affingunt, & vel patrem dant aliquem deum, vel matrem ei aſſignant deam aliquam. Cuius generis quum infinita ſint exempla; nos

nos illorum tantum rationem habebimus, quorum merita medica maxime celebrantur. Cumque ætas illorum incidat in tempora Argonauticæ expeditionis, ab illa ducemus narrationis initium.

LXVII. Hanc probatiſſimi chronologi reiiciunt ad annum mundi conditi cIↃ cIↃ IↃCC XXI. qui fuit ante Chriſtum natum cIↃ CC LXIII. Hiſtoria eius pauciſſimis expedienda eſt. Fama per orbem vulgauerat, in Colchide aſſeruari aliquod aureum vellus, quod rex tanto ſtudioſius cuſtodiret, quoniam reſponſum a diis tuliſſet, tunc ſe moriturum eſſe, quum aduenæ illud abſtuliſſent. Regi nomen erat Aeetas: regina Hecate vocabatur, cui duæ erant filiæ Medea & Circe. Hæc familia id vnice agebat, vt omnes aduenas interficerent, quo fama diræ inhoſpitalitatis omnes ab adeunda regione deterreret. Sed Iaſon, Theſſaliæ princeps, quem & ſua ambitio ſtimulabat ad aliquid audendum, & tutoris conſilia, in perniciem eius excogitata, impellebant, aduocato fortiſſimo quoque ſui temporis, conſilia cum ipſis communicabat, prægrandem nauem, Argo vocatam, his ſociis implebat, & Hercule duce conſtituto, illuc nauigabat. Forte tunc, quum appuliſſet, Medea ab aula

patris

patris exſulabat. Huius adminiculo, quod matrimonii pacto interpoſito ſibi comparauerat, Iaſon feliciter vellere potitus domum reuertit.

LXVIII. Hæc expeditio igitur notatu, ob pleraſque perſonas in medicina celeberrimas, digna eſt: & quoniam non pauci ſcriptores, ſed vix ſæculo VII. pares, totam narrationem de aureo vellere ad alchemiam vocauerunt: in quo, probabilibus rationibus perſuadendo, præter ceteros elaborauit OL. BORRICHIVS.

LXIX. *HECATE* in mortiferis pharmacis explorandis multum occupata, experimentum venenorum cepiſſe dicitur, cibis hoſpitum ad ſe ventitantium ea permiſcendo: ſeorſim aconitum inuenit. *CIRCE*, filia ex matris diſciplina acceperat noxias artes: ſed ad ſalutares etiam medicinas indagandas ſtudium conuertit. Sarmatarum regi nupta veneno illum ſuſtulit. Regno propterea pulſa in Italiam venit, vbi ad illam venit Vlyſſes cum ſociis: quibus moly, quod mercurius Vlyxi dederat, aduerſus maleficia eius præcipue valuit. Circes filius fuiſſe dicitur Marſus, a quo gens Marſorum, cui, vt & Pſyllis, naturalis quædam vis aduerſus ſerpentes fuiſſe perhibetur.

LXX. *MEDEA* artibus matris atque ſororis imbuta, paulo tamen humanior illis fuiſſe perhibetur. Tribuuntur ipſi artes illæ magicæ, quibus ferunt homini maius humano robur conciliari, corpori autem tantam duritiem, vt armis teliſque omnibus ſit impenetrabile. Illud eam effeciſſe vnguento quodam: quale etiam habuerit aliud, ad iuuentutem decrepitis reddendam. Ceterum Medea, cum Iaſone in Theſſaliam delata, artium ſuarum multa dedit ſpecimina vniuerſæ domui Iaſonis funeſta: ex qua tandem fuga ſe proripuit inque Phœnicen abiit. Multi iam laborarunt in fabuloſis his, omnemque fidem excedentibus narrationibus explicandis, vt ad aliquam veri ſimilitudinem reuocentur. Nos, prælibatis his, ad heroas progredimur.

LXXI. Præmittere autem illis debemus CHIRONEM CENTAVRVM, quem ipſum diis annumeratum vix inuenias, ſed heroum, qui circa hæc tempora fuere, omnium præceptorem, laudari video. Præter iuſtitiæ præcepta, medicinam & equeſtres artes, etiam armorum tractationem, muſicam, cœli figuram & venationem eos docuit. Vir humanus & iuſtus fuiſſe dicitur, qui in antro Pelii montis habitauit, & ad ſe venientes erudiuit.

LXXII. Medicinam docuit tam illam, quæ hominum morbis medetur, quam etiam veterinariam. Vlcera & vulnera præcipue tractauit. Centaurea herba, quæ & Chironium vocatur, vt & vlcera chironia, nomen ab ipſo acceperunt. Laudantur eius aliqua ſcripta; ſed pridem, modo genuina fuerunt, deperdita.

LXXIII. Inter heroas, Chironis alumnos, eminet AESCVLAPIVS, Apollinis filius, cuius matrem alii vocant Coronidem, Phlegyæ, Lapitharum in Theſſalia regis, filiam, alii Arſinoen, Leucippi Meſſenii. Quum a Chirone Centauro, vti dictum eſt, eruditus, & Apollinis patris beneuolentia id conſequutus eſſet, vt vnus omnium medicina facienda maxime excelleret, omnem orbem dicitur circumiiſſe, & artis edidiſſe opera. Fuit inter Argonauticæ expeditionis ſocios. Obiit tandem vel ſideratione pulmonum, vel Iouis fulmine ictus: inter aſtra repoſitus, ophiuchi nomine elucet.

LXXIV. Qualis & quanta Aeſculapii medicina fuerit, ad nos potiſſimum pertinet quærere. PINDARVS illum canit opem tuliſſe hominibus vlceroſis, vulneratis, contuſis, a frigore vel ſolis calore aduſtis: quodque his curandis adhibuerit incantamenta, vel potiones medicatas:

dicatas: aliis medicinas exterius applicuerit, alios denique incidendo curauerit.

LXXV. Pulcre etiam de eius medicina iudicat PLATO. Simpliciſſimam eam fuiſſe, vt ſæculo, quod luxus nondum corruperat. Potiſſimum vulneratis eum opem tuliſſe. Ceteris, a morbo quodam correptis, cauſam eum ſubtraxiſſe purgatione quadam. Diæteticam illam ſui temporis medicinam illum neglexiſſe. Filium eius Machaonem, ad Troiam grauiter vulneratum, non reſpuiſſe ſibi, ac commilitoni æque ſaucio, oblatum calicem cinno repletum: quod poſteri, qui ſe ab Aeſculapio deductos gloriantur, grauiter reprehendant.

LXXVI. Et ſane Homerus nobis Aeſculapii filios ſubinde commemorat e vulneribus ſpicula extrahentes, ea deinceps aqua frigida lauantes, tum medicamenta, quæ dolores leniunt, & ſanguinem ſiſtunt, imponentes. Ex quibus nihil iuſte colligimus, quod vltra modulum acceptæ a Chirone medicinæ aſcendat.

LXXVII. Sed GALENVS omnia in maius attollit, quando dicit perfectam & omnibus numeris abſolutam medicinam, omninoque rationalem, eſſe ab Aeſculapio inuentam, ſuisque poſteris transmiſſam,

miſſam. Idemque videtur in incantationibus nihil aliud inuenire, quam artem, animi inordinatos motus ad iuſtum debitumque modum reducendi. Quare cantilenas, mimos, melodias inuenerit: corporisque exercitationes, animi erigendi & excitandi cauſa, præſcripſerit. Videndum tamen fuerit, vtrum Galenus hoc ſuo Aeſculapio inter homines verſanti adſcribat, an patrio vrbis ſuæ numini, Ioui Aeſculapio, cuius nomine callidi ſacerdotes eius homines ſubmonebant, tamquam ab illo ita iuſſi.

LXXVIII. Eſſet nunc tempeſtiuum dicere de Aeſculapii familia & poſteris: ſed differemus eos tantiſper, donec de ceteris horum temporum heroibus, aut cum medicinæ rationibus connexis aliis, abſoluerimus. Hos inter eminet HERCVLES, cuius hiſtoria tam ampla & intricata eſt, vt paucis explicari omnino nequeat. Euenit hoc ex eo, quod plures gentes Herculem ſuum habuerunt, aut finxerunt: quorum facta & attributa vario deinceps modo fuerunt in vnum coniecta. Paucis dicam, fuiſſe virum fortem & intrepidum, qui, vt humano generi a moleſtiis & periculis liberando prodeſſet, nullum laborem, nullam ærumnam ſubterfugit: hocque felici ſemper ſtudio con-

ſequutus eſt, vt ἀλεξίκακος, vt & σωτὴρ appellaretur.

LXXIX. Seorſim ad medica beneficia refertur narratio de hydra Lernæa, magno Herculis labore tandem confecta: quam LANCISIVS eleganter refert ad exſiccationem noxiarum, & peſtilentiam aeri infundentium, paludum. Videntur aliquæ gentes ab ipſo medicinæ auxilia expetiiſſe, præcipue Thaſii. Neque negligenda eſt illa inter Herculem & Mercurium coniunctio, quam antiqua ſigna & numi præferunt. Apud Coos Herculis & Aeſculapii poſteritas rerum potiebatur: atque ex vtraque familia genus ſuum deducebat Hippocrates noſter.

LXXX. Etiam Herculis nomen in medicina ſupereſt, quoniam ab ipſo diuerſæ plantæ nomen gerunt; ac comitialis morbus, quem, neſcio ex qua cauſa, Herculeum vocant. Celebratur etiam nodus Herculeus, quo vulnera præligantur. Cretenſes multas incantationes & amuleta, quæ circumligentur, ad Herculem, qui magus fuerat & ſacras cerimonias tractauerat, retuliſſe DIODOR. SICVLVS auctor eſt. Sed hic Hercules fuit Corybantius, vnus ex dactylis Idæis: cuius inuenta & facta, illius tam celebris ex Ioue & Alcmena geniti moribus diſſi-

diſſimilia, fuiſſe in vnum coniecta apparet.

LXXXI. Chironi Centauro alumnus & diſcipulus etiam datur ARISTAEVS, vir nobiliſſimus, & in mythologia non diſſimilis Oſiridi aut Baccho, qui magnam orbis partem peragrauit, vt homines doceret artes vitæ vtiles, olei culturam & mellificium, vt & caſei confectionem. Patrem ipſi tribuunt Apollinem, matrem Cyrenen, filiam Gypſæi, qui Peneum patrem habuerat, & ad Pelium montem habitauerat. Apollo adamatam puellam abduxit in regionem, quæ ab ipſa Cyrenaica dicta eſt; vbi peperit Ariſtæum, a nymphis & muſis educatum, deinde a Chirone, in patria matris ſuæ, educatum. Huic ſilphii ſeu laſerpitii primam inuentionem adſcribit ſcholiaſtes Ariſtophanis: ſed recentiorem eius inuentionem facit PLINIVS. Coos a peſtilentia liberaſſe dicitur ſacrificio, quo a patre ventos eteſias impetrauit, æſtus canicularium dierum remedio. Propter tam multa beneficia meruit in cælum referri & inter ſigna Zodiaci lucere, nomine aquarii. Eius hiſtoria non paucis laborat difficultatibus chronologicis.

LXXXII. Mitto aliquos heroas Argonautas, quorum medica merita non ſunt adeo conſpicua. Commemorandus tamen

men eſt *ORPHEVS*, qui inter Argonautas vatis munere functus eſt. Origine Thracem ferunt, muſica, aſtrologia, diuinandi artibus, poetica facultate & medicinæ ſcientia abunde excultum: inſuper expiatorem. Quæ ſuperſunt nomine eius ornata carmina, in quibus eſt libellus de lapidibus, ſine dubio ſunt recentiorum auctorum fœtus. LINVS etiam horum temporum vir celebratur, Orphei & Herculis præceptor, quem ob librum de arboribus & fructibus inter medicos referunt.

LXXXIII. Subiungo his virum, qui Argonauticis temporibus aliquantum ſuperior putatur. MELAMPVS eſt Argiuus, vir celeberrimus, qui plurimos religioſos ritus, vel a Cadmo & Tyriis acceptos, vel ex Aegypto petitos, Græciæ intulit. Poeta & paſtor fuit, quumque obſeruaſſet, capras purgari elleboro paſtas, inde vires plantæ didicit, eaque filias Proeti regis furentes percurauit, vna cum multis aliis feminis, ſimili morbo laborantibus. Valde ipſi & lucroſa & glorioſa fuit hæc curatio.

LXXXIV. Ab illo tempore itaque gloria ellebori claret, cui ab ipſo datum fuit nomen melampodium: album autem hoc nomine cenſeri, vix dubium puto. Sed non multo poſt etiam nigrum

iano-

innotuiſſe & clarum factum eſſe, inde colligimus, quod Hercules apud Anticyranos ab inſania liberatus legitur. Apud hos enim niger prouenit. Certe elleborismorum maxima antiquitas inde ſatis cognoſcitur.

LXXXV. Melampus, vt erat ſuperſtitionibus valde deditus, vſum veratri implicabat multis cerimoniis religioſis, vt incantamentis, luſtrationibus, balneis, ſuffitibus, ad quos tædam, bitumen, ſulphur, ſcillam, lanam flauam & ſalis fruſta adhibuit. Quin nec effodiendus erat elleborus ſine ſuperſtitioſo ritu. Sepiebant ſcilicet antiquiſſimi medicas curationes multis religionibus, vt poſſesſionem arcani tutiorem ſibi facerent. Rubigine etiam ferri vſus eſt ad ſterilitatem virilem percurandam. Mortuo Melampodi honores diuinos eſſe habitos, templaque ipſi fuiſſe, ex Pauſania conſtat.

LXXXVI. Filium reliquit Thyodamantem & nepotem Polyidum, iisdem artibus celebres. Scripta ad Melampodem relata ſine dubio ſunt alius cuiusdam recentioris viri.

# CAP. VII.

## DE HEROIBVS MEDICIS CIRCA TEMPORA TROIANA.

LXXXVII. Poſt Argonauticam expeditionem haud facile aliquid in Græcorum antiquiſſimis rebus inuenias celebrius bello Troiano, quod LXX. circiter annis poſt illam incidit, omnesque Græci nominis gentes concitauit. Cœpit A. M. cIɔ cIɔ Iɔcc LXXXX. & per integros decem annos durauit.

LXXXVIII. Id bellum, aut potius extremo illius anno geſta, HOMERVS ample decantauit, ex quo plerique iam veteres antiquiſſimum Græciæ ſtatum, artes etiam atque ſcientias illo tempore cognitas, conſueuerunt eruere. Adeoque medicinæ etiam, quæ illa ætate fuit, conditionem ex eodem colligere ſolent. Obueniunt autem in illa narratione complures heroes, ex Chironis Centauri diſciplina deducti, de quibus facta medica referuntur: ſeorſim autem Aeſculapii filii, Machaon atque Podalirius, qui commilitonibus non exiguam opem paternæ artis exercitio afferebant. Atque de his in fine capitis dicemus; expediemus autem prius reliqua, quæ ad noſtram

ſtram hiſtoriam pertinere videbuntur.

LXXXIX ACHILLES, Pelei & Thetidis filius, Græcorum fortiſſimus, celebratur ob haſtam æneam, quæ vires habuerit, vt, quos vulneraſſet, eosdem etiam ſanaret. Plinius rem ita explicat, quod æruginis vſum vulnerarium primus cognouerit: quare eum veteres pingebant æruginem de cuſpide haſtæ ſuæ gladio decutientem. Hac medicina TELEPHVM a ſe vulneratum ſanauit: qui nomen ſuum dedit telephio. Ab Achille autem denominata eſt Achillea, quam plerique putant eſſe illam plantam, quam nos millefolium vocamus.

LXXXX. Vt Achilles medicinam a Chirone didicerat, ſic PATROCLVS, poſt illum fortiſſimus, ex eadem diſciplina prodierat: quem Eurypylus vulneratus implorat, vt ſibi telum exſcindat, vulnus lauet & medicamenta imponat; quoniam Aeſculapii filiorum ope vti non licebat, altero grauiter ſaucio, altero in pugnam aduerſus hoſtes profecto. Homerus canit, ipſum ad medicinam ab Achille ipſo inſtitutum fuiſſe.

LXXXXI. Idem Homerus nobis etiam Autolycum, Vlyſſis auum, eiusque filios, medicinæ vulnerariæ peritos deſcribit, qui ab apro ſauciatum Vlyſſem deligan-

ligando, & ſanguinis fluxum incantationibus ſiſtendo, curauerint.

LXXXXII. Inter heroas ad Troiam profectos primus occubuit *PROTESILAVS*, Iphicli filius; de quo multa narrat PHILOSTRATVS. Apud Eleuntios, vbi ſepultus eſt, & aliquos Theſſalos, diuinis honoribus colebatur, tamquam optimus conſultor in rebus dubiis, & morborum, præcipue tabis, hydropis, oculos affligentium & quartanæ febris profligator. Hinc multa donaria ſepulchro eius illata fuerunt, quæ Perſæ cum Xerxe Græciam inuadentes, teſte HERODOTO, abſtulerunt.

LXXXXIII. Pulcherrima feminarum HELENA, ob quam Troia, exciſa eſt, celebratur quod poſſederit famoſum illud medicamentum νηπενθές τ' ἄχολόν τε, (§. 28.) acceptum a Polydamna Aegyptia, Thonis vxore. Ab eadem nomen accepit planta quædam, helenium: quod tamen a noſtra enula diuerſum eſſe videtur. Dicitur eos, qui eam comederint, ad rixas concitare. Idem effectus nerio ſeu rhododaphnæ tribuitur, a qua etiam exſpirans odor rixas & contentiones moueat.

LXXXXIV. Ante Helenam Alexander Paris amauerat Oenonem, quam eius cauſa repudiauerat. Hanc OVIDIVS nobis

nobis canit medicarum artium, præcipue autem virium, quæ herbis inſunt, apprime peritam.

LXXXXV. Numquam in omni hiſtoria Troiani belli inuenimus aliquem medicum, qui curationem alicuius morbi interni, aut peſtilentiæ, per medicinas molitus ſit: omnis eorum ars & induſtria intra chirurgiam conſiſtebat. Peſtilentiæ autem cauſa Apollini placando operam vnice dabant. Sed Philoſtratus annotat, quod PALAMEDES peſtilentiam tunc ab exercitu propulſauerit, carnium eſum ad tempus prohibendo, imperato vegetabili cibo, & vt homines a continenti in naues transferrentur, ibique cum motu remigationis exercerentur, tum noxiis terræ exhalationibus ſubducerentur. Notabile eſt, quod is Palamedes ſe iactauerit, quod medicinam a Chirone addiſcere, quum is operam ad id ſuam offerret, noluerit.

LXXXXVI. Homerus meminit, deos deasque ſe præliis ſubinde intermiſcentes vulnera accepiſſe, ex quibus ſanguis albus manauerit. Talem vocant etiam ichorem, immortalibusque non alium eſſe ſanguinem prædicant. Videtur perſuaſio antiqua & vltra Græciam diſperſa. Certe margaritas Indi ſcribebant ex ſanguine albo generatas, adeoque nobilioris

bilioris originis: vnde forte magna de inſignibus earum viribus ortum traxit fiducia.

LXXXXVII. Temporum Troianorum medicus fuit etiam IAPIS, ſive, vt aliqui ſcribere malunt, IAPYX, quem Virgilius in Aeneæ, Troia profugi & in Italiam delati, ſociis recenſet, Phœbo ante alios dilectus vir, cui artes ſuas omnes dare voluerat, ex quibus non aliud donum accepit, niſi illud, ſcire poteſtates herbarum ac medendi vſum. Scilicet deſiderio patrem ſuum iam depoſitum ſeruandi hæc ceteris prætulit, mutasque artes inglorius agitare, quam vaticinandi, iaculandi aut lyram tractandi peritia celebrari. Varias doctorum de artibus mutis ſententias hic locus produxit, de quibus alias dixi.

LXXXXVIII. Tandem ſupereſt, vt dicamus de Aeſculapii filiis, *MACHAONE* & *PODALIRIO*, belli ad Troiam geſti ſociis, quos poetæ omnium, quæ bellum adferre ſolet, laborum & periculorum participes, pugnantes, in prælia ducentes, cædentes, vulneratos deſcribunt: vnus Diodorus Siculus contendit, immunes a militiæ laboribus fuiſſe, idque beneficiorum, quæ ceteris præſtabant, compenſationi datum fuiſſe. Certe *MACHAON* ad Troiam in pugna inter-

terfectus a pluribus ſcribitur. Oſſa eius a Neſtore in Græciam relata & Gereniæ depoſita ſunt, vbi eius religione admodum nobile templum fuit. Mortales ad id confluebant, vt ab ipſo medelas morborum acciperent. Simulacrum ex ære ipſi fuit; capiti corona circumdata.

LXXXXIX. Coniugium iniit cum nobiliſſimis feminis, priori Anticlea, Dioclis, Meſſeniorum regis filia, ex qua Nicomachum & Gorgaſum filios ſuſtulit: ex alia coniuge ſuſcepit Sphyrum, Alexanorem & Polemocratem. Magno in honore viui fuerunt: mortui autem diuinos honores & fana conſequuti ſunt. Poſteritas eorum in Græcia manſit & gentem Aſclepiadarum propagauit.

C. *PODALIRIVS* Ilio deleto in Cariam tempeſtate delatus, ibi conſedit, &, quum ibi regis Damoethi filiam, ex lapſu ab alto grauiſſime decumbentem, ſecta vtriusque brachii vena ſeruaſſet, eandem in felicis curationis præmium, cum Cherſoneſo Cariæ, accepiſſe dicitur. Ipſius igitur poſteri auctores ſunt Aſclepiadarum, qui in Co & Cnido, forte etiam Rhodo deinceps floruerunt. Podalirio ex Syrna coniuge erat filius Hippolochus, a quo Hippocrates Cous poſt aliquot generationes exortus eſt.

# CAP. VIII.

## DE
## CVLTV AESCVLAPIO, FILIIS FILIABVSQVE, HABITO.

CI. Aeſculapium Argonautis interfuiſſe, ſupra §. 73. vidimus. Eundem ante Troiæ expugnationem annis circiter LIII. inter deos relatum ſcribit, adductisque vetuſtorum teſtimoniis, CLEMENS ALEXANDRINVS addocet. Adeoque oportet non niſi viginti admodum annos ab Argonautica profectione ad conſecrationem eius effluxiſſe. Sed apud HOMERVM, ſi recte memini, nondum occurrit veſtigium Aeſculapii ob medicam opem ferendam ſollicitati: quum apertum ſit, quod ad Apollinem potius confugerint. Ex quo colligimus, poſt Troiana potiſſimum tempora increbuiſſe & creuiſſe eius cultum, & fiduciam opis ab eo conſequendæ.

CII. Quoniam autem ille cultus inde ab hoc tempore, vsque ad ſæculum Chriſtianum IV. per magnam orbis terrarum partem durauit; quod tempus annos clↄ Iↄc excedit: medicinæ autem exercicium omne per annos admodum Iↄcc in eorum poſſeſſione manſit, qui ſe ab Aeſculapio deductos gloriabantur, inde-

que

que Aſclepiadæ vocabantur: operæ pretium facturi videmur, ſi de toto hoc negotio aliquantulum curioſius diſpiciamus. Dicemus itaque ordine de templis, de Aeſculapii ſimulacris, de ſymbolis dei, de feſtis in honorem eius inſtitutis, de ſacerdotibus, de incubatione, de ſacrificiis denique, donariis, tabulisque votiuis in templis ſuſpendi ſolitis.

CIII. Templorum Aeſculapii, quæ Asclepiea Græcis dicebantur, & vel vni Aeſculapio, vel filiis nepotibusque eius, dicata erant, non ſolum per Græciam proprie dictam inſignis multitudo erat: verum etiam per colonias ab ipſis deductas. Legi poteſt de iis PAVSANIAS in deſcriptione Græciæ, qui docet, non ſolum in magnis vrbibus talia ſæpe plura fuiſſe, ſed & in oppidis atque vicis aliqua oſtendit. Complurium notitia ex aliis hiſtoriis accipitur: neque modicum numerum nos docent veteres numi in vrbibus & coloniis olim cuſi: qui, ſi non ad nos perueniſſent, multa etiam ad hunc Aeſculapii cultum pertinentia, quemadmodum infinita alia, ignoraremus, non niſi ex ſignato antiquorum ære repetenda.

CIV. Templa Aeſculapii ædificaturi id præcipue curabant, vt locis editis ac puriſſimo aere fruentibus ponerentur. Adiicieban-

iiciebantur luci & ambulationes vmbroſæ: præcipueque illud etiam curabant, vt ad fontes ſalubres excitarentur, aut prope flumina. Ambitus templorum, pro conditione & fortunis ponentium, erat ſpacioſus, ædificiis neceſſariis, pro ſacerdotum habitatione commoda, cinctus. Neſcio, an pluribus, aut omnibus, fuerit inhumana lex illa, vt nemini intra ambitum templi aut naſci aut mori liceret: quod apud Epidaurios ſatis diu obtinuiſſe, Pauſaniam teſtem habemus. Certe Apollini etiam apud Delios id dabatur, vt nemini ſepeliri in inſula concederetur.

CV. Aeſculapii ſimulacra non vno eodemque modo ponebantur: videturque in eo aliquid artificum ingenio indultum fuiſſe; cuius rationes deinde probabiles excogitatæ fuerunt. Raro ſedens exhibetur: plerumque ſtans, nodoſo baculo, dracone circumdato, innixus. Sedentem Epidaurii habebant, cane ad pedes decumbente. Alibi ſtrobilum pini ſiniſtra manu tenebat. Aliqui nudo capite; alii galero tectum: veſtibus alii vsque ad pedes demiſſis indutum: plerique ſuperiori corporis parte nudum effingebant. Alicubi puerum, apud alios adoleſcentem imberbem fuiſſe cultum legimus.

mus. Sed plerique barbatum, & valde quidem exhibuerunt.

CVI. Raro ſolus erat, ſed plerumque comitatus Hygea coniuge, & ex filiabus vna, duabus, pluribusque. De numero aut coniugum aut filiarum non conuenit inter auctores. Aliqui Hygeam etiam filiam Aeſculapii volunt, coniugem autem Epionem, vel Lampetiam. Filiæ recenſentur Aegle, Panacea, Iaſo, Rome & Aceſo: ſoror autem Eriopis. Aliquando filii & nepotes adiecti leguntur.

CVII. Hygea, talari veſte induta, plerumque pateram cum maza tenet, ad quam ſerpens aut draco adſpirat. Aliquando capiti impoſitum viſitur ſtellæ inſtar, lineis ſingulari arte ductis, pentagonum; quod pentalpha vocant antiquitatum ſcriptores.

CVIII. Apud Pergamenos inter Aeſculapium & Hygeam medius ſtabat puerulus, curioſe veſtitus: atque eundem apud Epidaurios, & Titanæos, viſum legimus. Vocant Teleſphorum, Aceſium, Euamerionem. Aliqui filium Aeſculapii & Hygeæ illum perhibent. Mihi videtur ad Aegyptiorum imitationem effictus, qui inter Iſidem & Oſiridem medium effingebant Harpocratem, quem Horum eſſe aliqui putant. Harpocrates autem Sigaleon etiam vocatur, id eſt taciturnus,

citurnus, aut ſilentii deus. Meretur vtique vlteriorem inquiſitionem. Thebani antiqua ſua lingua medicum vocabant σαντᾶν; quod nomen ex Phœnicia & Arabica, quin Ebræa etiam lingua denotat taciturnum, ob pertinaciam ſilendi quaſi mutum. Quo poſito puerulus ille medicum, tamquam Aeſculapii & Hygeæ filium, nobis deſignat, cui taciturnitas præcipue commendata eſt.

CIX. Aeſculapii ſimulacris dracones crebro adiunguntur, iidemque in templis eius frequenter viſebantur. Inter draconem & ſerpentem hoc intereſt, quod draconibus maior omnino corporis moles & longitudo tribuitur, inſuperque barba & criſta, atque indoles innocentior: vnde plerumque genii locorum ſymbola etiam habentur. Viſus quoque inſigne acumen eſſe draconibus dicitur, quippe a Græco δέρκω, *video*, denominatis. Vnde vel perſpicaciam medicorum in agendorum examine accurato denotant: vel reſpexerunt veteres ad animalis huius naturam cum ſerpentium genere communem, qua omni anno ſenectam deponunt, & iuuentutem quaſi renouant: quem fructum a medicina homines exſpectare iubentur, ſi præceptis eius rite obtemperare velint.

CX. Baculum nodoſum Aeſculapio dederunt,

derunt, perinde ac Herculi, niſi quod noſtro ſe draco aut ſerpens circumplicat. Puto non ſolum affinitatem officii, quod vtrique numini apud diuerſas gentes tribuitur, verum etiam illam, quæ in genealogiis heroum horum deprehenditur, cauſam eſſe vero ſimillimam. Certe in Co inſula Hercules & Aeſculapius colebantur: atque Aſclepiadæ Coi ex vtroque genus mixtum ducebant, ſaltem iactabant.

CXI. Gallum gallinaceum fere adiiciebant ſignis Aeſculapii: forte vt vigilantiam medico neceſſariam deſignet: aut quod ſolis ſeu Apollinis, qui Aeſculapii pater erat, illa auis cenſebatur, quoniam ortum eius cantu denunciat.

CXII. De feſtis ſollemnibus, in honorem Aeſculapii inſtitutis, multi multa collegerunt, quæ potius antiquitates Græcas aut medicas tradenti, quam hiſtoriam medicinæ, inſeruiunt. Scilicet feſta, quæ ἀσκλήπεια aut ἀσκληπιεῖα vocabantur, acta legimus Epidauri, Pergami & apud Ancyranos. Numi & inſcriptiones omnia magnifica de his prædicant, quamuis hiſtoriæ parum hic declarant: ſcilicet quod hiſtorici, quorum pars maxima intercidit, de rebus belli ac pacis potiſſimum agunt, & non niſi occaſione data ſacrorum mentionem

faciunt. Videantur, vt breuis ſim, MEVRSIVS in *Græcia feriata* & SPANHEMIVS, in epiſtolis de re numaria Morelliano ſpecimini, ac Gothæ numariæ, ſubiectis: quo illuſtriſſimo viro nemo plura ad hanc notitiam contulit.

CXIII. In epiſtolis, quæ admodum dubia fide Hippocrati tribuuntur, fit mentio feſti, quod ῥάβδου ἀνάληψις vocatur. Id extra Con inſulam vix fuiſſe puto: minimeque quinquennale, vt Aſclepiea ante memorata, ſed forte annuum, quo ſacerdotium ſupremum ordine ad alium transferebatur, tradito in ſymbolum magiſtratus baculo nodoſo, angue aut dracone circumdato. Perſuadet id vſus Græci ſermonis, vbi ἀναλαμβάνειν τὸ σκῆπτρον, τὸ διάδημα, τὴν βασιλείαν, perinde dicitur, vt apud Romanos faſces petere, adipiſci, pro curulibus magiſtratibus ponebatur.

CXIV. Ordo nunc iubet de ſacerdotibus Aeſculapii dicere: ſed quoniam multa de illis afferenda ſunt, ſingulari capiti hæc deſtinantur, quo ad Aſclepiadas pertinentia omnia complectemur. Abſoluemus itaque prius de reliquis. Et celebris quidem eſt incubatio in templo Aeſculapii, quæ tam præſente deo, quam abſente, videtur ab ægrotis facta.

CXV. Antiquarum rerum, quæ ad ſacra

cra Græcorum pertinent, curioſi non ignorant, quod ſacerdotibus placuerit, vt ſibi iuſtas ferias pararent, & ne emolumentis aliorum ſimilis inſtituti officerent, populo perſuadere, deos certis menſibus abeſſe, deinde iuſto tempore redire & templa ſua præſentes incolere, vt conſulentes audiant, reſponſa illis dent, opemque ferant. Multa igitur leguntur de manifeſtatione & apparitione deorum præſentium, quam ἐπιφάνειαν aut θεοφάνειαν vocabant: cuiusque vel grato animo celebrandæ vel expetendæ cauſa τὰ ἐπιφάνια aut θεοφάνια celebrabant. Idem de Aeſculapio fuiſſe creditum, perſuadent nobis diſertæ commemorationes abſentiæ eiusdem.

CXVI. Quare vero fit ſimile, quod incubationes in templo Aeſculapii, quibus nihil eſt teſtatius, duplici ſcopo factæ fuerint. Scilicet quo tempore præſens erat, vt ſe per noctem curandos, adhibitis medicinis aut operationibus, præberent, quæ ſacerdotes, habitu Aeſculapii incedentes, adminiſtrabant. Quando autem aliqui illis menſibus aduentabant, quibus numen abſens erat, in templo decumbentes exſpectabant, vt per ſomnia de recuperanda ſalute admonerentur.

CXVII. Totam rei ſeriem colligere licet ex illis, quæ ARISTOPHANES acci-diſſe commemorat, quum ruſtici cæcum Plutum ad Aeſculapium ducerent, vt viſum recuperaret. Scilicet ἱκέτης, ſupplex, aduentans luſtrari lauarique ante omnia debebat, deinde ſacrificium exhibere, quod aræ dei imponebatur: tum in templo decumbere & ſomnum capere. Noctu ſacerdotes, Aeſculapii habitu obeuntes, eos inſpiciebant, atque vel adminiſtrabant vel ediſſerebant, quibus opus eſſe ad recuperandam ſalutem exiſtimabant. Cumque nefas valdeque periculoſum crederetur, ſi quis etiam vigilans ſomnum non ſimularet: de eo etiam quod quisque vere viderat & audierat, non aliter loqui apud alios licebat, quam de re per ſomnum viſa & oblata.

CXVIII. Qui ſanationis beneficium conſequuti fuerant, tabulis votiuis inſcribebant quid opem attuliſſet, easque in templo ſuſpendebant. Videri tales poſſunt accurate depictæ apud GRVTERVM. Cuius generis cum complures eſſent, quas aduenæ legebant, aut legendas ſibi curabant, non mirandum eſt, ſi totis diebus inter talia verſatis per quietem ſimilia obueniebant. Sed & medicamentorum multorum notitiam hinc in vulgum emanaſſe facile intelligitur.

CXIX.

CXIX. De ſacrificiis Aeſculapio oblatis & cæſis nemo veterum ex inſtituto aliquid reliquit. Tauros tamen, agnos ac ſues, itemque volucres, ipſi immolatos legimus. Capram deo mactare apud Epidaurios non licebat: quod apud Balanagram Cyrenæorum factum crebro legimus. Neſcio an in omnibus templis lex illa fuerit, quam apud Epidaurios & Titanæos inuenimus, vt, quicquid ciuis vel aduena deo ſacrificaſſet, intra ambitum templi conſumeretur, nihil efferre liceret. Præter autem cetera gallum gallinaceum Aeſculapio ſacrum faciebant. Neſcio quid ſtatuam de caprarum aut gallorum æneis argenteisue ſimulacris, ex ipſis ſepulcris antiquorum erutis: qualia videre & poſſidere contigit, in Germania ad Rhenum inuenta. Certe in conditis Aegyptiorum funeribus multas deorum dearumque icunculas inueniri annotatum legimus, & non improbabile videtur, moris huius imitatores exſtitiſſe: præſertim quum Aegyptiorum ſacros ritus & numina, præcipue medica, Græci primum, deinde Romani acceperint: quod, quum recentioribus acciderit temporibus, infra ſuo loco commemorabimus.

# CAP. IX.

## DE
## ASCLEPIADIS MEDICIS, EORVM OFFICIO, FORTVNIS, DOCTRINA, MERITIS SCHOLISQVE DIUERSIS.

CXX. Scripſit ISIDORVS HISPALENSIS, poſtquam fulminis ictu Aeſculapius interiit, interdictam medendi curam, & artem ſimul cum auctore deſiiſſe, latuiſſeque vsque ad tempus Artaxerxis, Perſarum regis: tunc eam ad lucem reuocaſſe Hippocratem Coum. Id teſtimonium crebro videas citari, indeque hiatum hiſtoriæ medicinæ complurium ſæculorum excuſari. Enimuero Troiana tempora medicis non caruiſſe antea vidimus: neque poſtea medicinam defeciſſe vmquam facile intelligemus. Sed qui ſuo nomine, ſuis auſpiciis, artem exercerent, longo tempore videntur defuiſſe. Aſclepiadæ enim, qui rem medicam curæ habebant, ita callide rem gerebant, vt Aeſculapio omnia tribuerentur.

CXXI. Erant autem illi homines honorati, ex familia Aeſculapii ortum ducentes, qui ſacerdotio eius fungebantur, hereditario vtique & a parentibus ad natos ſerosque nepotes propagando. Scilicet ſacerdotia olim in certis familiis hereditaria

caria fuiſſe, abunde notum eſt. Reges itaque ac ciuitates templa Aeſculapio exſtruebant, iisque fundos ſuos, atque eorum reditus, aſſignabant: ad quæ accedebant emolumenta ex ſacrificiis & donariis, quæ quisque, beneficium aliquod ſanationis conſequutus, teſtandæ gratæ mentis cauſa, pro facultatum modo, afferebat. Vt vero noſtris temporibus videmus pias fundationes alias aliis pinguiores ab initio eſſe, aliquas etiam incrementa præ aliis capere: ſic Aeſculapii templorum quædam inſignem in modum caput extulerunt, vt conſpicuam gloriam famamque conſequerentur, & ſacerdotes emolumentis maioribus bearentur.

CXXII. Sed progreſſu temporis etiam alii honeſti viri, qui non erant de genere, in collegium adoptabantur. Videtur omnino Hippocratis æuo id iam frequenter fieri ſolitum, quoniam Praxagoras Cous, qui ipſi ætate ſuppar fuit, Aſclepiadarum vltimus dicitur. Quibus ex cauſis hoc factum videri poſſit, inferius licebit commodius quærere.

CXXIII. Commode habitabant apud templum, ipſiusque reditibus fruebantur, tamquam ſerui dei. Officium erat, ad Aeſculapium confugientes, *ἱκέτας*, ſuscipere, religionem eius edocere, illos luſtrare, ſacrificia pro illis offerre, deo

hymnos præcinere, noctu decumbentes Aeſculapii & filiarum habitu obire, medicinas applicare, operationes inſtituere chirurgicas, ſomnia cuique ſua explicare, atque, vt paucis dicam, quicquid ad religionem pertinebat, exſequi. Praeterea etiam prouidere debebant, ne medicinæ ars aut ſcientia, quantulacunque ipſis erat, interciderent, ſed filios ſuos ac propinquos, aliosue in collegium adoptatos, eadem imbuerent.

CXXIV. Iam tempeſtiuum eſt quærere, qualis & quanta Aſclepiadarum medicina fuerit. In quo non poſſum cum Galeno ſentire, qui omnia præclariſſima de Aeſculapio & Aſclepiadarum ordine perhibet (§. 77.): quando autem de ſingulis quibusdam iudicium expromit, admodum parcum & reſtrictum laudatorem ſe gerit.

CXXV. De inſtitutione eorum ad medicinam conſentitur, quod initio parens filium ita edocuerit, vt ſemper agenti ſibi præſentem voluerit eum: vnde factum ſit, vt fere non ſentientes proficerent. Creſcente inſtituto, & quum etiam alii in ſacerdotes legerentur, quam a pueris inſtitutione vſi, ſcilicet alienigenæ, conſtitutas in frequentioribus vrbibus ſcholas fuiſſe, vbi ad artem per omnes partes ſuas formarentur. De ſcholis his aliqui

qui ita loquuntur, tamquam noſtris academiis pares fuiſſent: quod iſtorum temporum conditioni minime congruit. Has quoque ſcholas fuiſſe illis commodas, quorum parentes nimis immatura ipſorum ætate deceſſerant, vt & his, qui nati in pagis aut oppidis minus ſufficientes occaſiones morbos omnes cognoſcendi, medendique omnes rationes percipiendi, domi ſuæ habuerant, apparet.

CXXVI. Præcipue contendit Galenus, anatomen patres, inſpectantibus filiis, crebro exercuiſſe: vnde libris nullis opus fuerit de hac arte ſcribendis, donec demum alienigenæ collegio adiungi cœperunt, quorum cauſa primus Diocles Caryſtius de anatomica re libros ſcripſerit. Sed nihil præclari in anatome Aſclepiadarum fuiſſe, ex eo apparet, quod ipſemet Galenus fateri coactus eſt, Dioclis & Praxagoræ Coi anatomen valde rudem eſſe, ſi cum ſequutorum ſcriptis contendatur. Idemque ex Hippocrate elucet, apud quem multa leguntur, quæ hodie nemo laudauerit. Taceo cauſas multas, quæ prohibuerunt etiam cupidiſſimum ab exercenda anatome.

CXXVII. Neque ſecure poſſumus aſſerere, quod Aſclepiadæ rationalem medicinam habuerint, aut quæſiuerint. Aliqua ab experientia multorum annorum

cognita ipſos habuiſſe medicamenta, non eſt dubium. Sed quod clinicam medicinam exercuerint, aut diæteticam ad artem rationalem redegerint, vix aliquis probauerit de antiquiſſimis & genuinis Aſclepiadis. Omnino CORN. CELSVS rei conſentanea dicit, quando ſcientiæ medicæ originem ad philoſophos refert.

CXXVIII. Quum extra templum medicinam facere Aſclepiadæ non liceret: ex philoſophorum autem ſcholis prodiens nouum genus medicorum omnibus magis commodum, atque vrbibus neceſſarium videretur; hinc vero Aſclepiadæ tantum ſibi decedere ſentirent, quantum gratiæ & emolumentorum in illos affluebat: factum inde eſt, vt Aſclepiadæ prudentes iudicarent, rebus ſuis conducere, ſi tales, etſi non eſſent de ſuo genere, ſuo collegio adiungerent. Forte etiam coacti id fecerunt, iubentibus ciuitatibus, quibus graue videbatur, annuam mercedem illis conductis medicis ex ærario numerare: quum inertes Aſclepiadæ pinguibus reditibus ſine publici boni emolumento fruerentur.

CXXIX. Hæc contentio generoſiores Aſclepiadas, ad tuendam famam, atque conſeruandos reditus ſuos, excitabat ad æmulum ſtudium: quo factum eſt, vt excuſſo veterno iam exſererent induſtriam &

inge-

ingenium exercerent. Tuncque primum factum eſt, vt ſcholæ celebriores, mutua æmulatione, de augenda & amplificanda arte cogitarent.

CXXX. Iam inter ſcholas Aſclepiadarum maxime celebrantur Coa, Cnidia, Rhodia, Cyrenaica, & Italica; ſiue Agrigentina, ſiue Crotonienſis. Coæ mentio cum Hippocrate arcte cohæret: erit itaque differenda. Cnidia, quæ eadem Gnidia vocatur, erat in vrbe Cnido, quæ pariter ac Cos & Rhodus Dorienſis erat: quare non mirum, ſi Aeſculapio æque erant addictæ vrbes. RVFVS apud ORIBASIVM ſcribit, medicis Cnidiis a frequentiſſimo vſu cocci Gnidii nomen fuiſſe datum; in quo habuit ex noſtratibus ſequaces. Sed dubium eſt, quid ſit κόκκος γνίδιος, natiuumne, vt ſemen aliquod aut bacca potius, an compoſitum in forma pilulari. Certe τὰ κοκκία veteribus idem, quod nobis hodie pilulæ, deſignabant. Sed vtrum horum placeat, vero tamen propius eſt, ab vrbe celebri potius medicamentum, eiusque inſtitores, nomen accipere, quam vrbem ab inſtitoribus aut merce.

CXXXI. Sunt etiam, qui Cnidios inueniſſe perhibent elaterium: ſed teſtimonium Hippocratis nec clarum eſt, nec, ob lectionem variam, ſatis certum. Sed non

non eſt tamen dubitandum de magna elaterii antiquitate, quum Theophraſtus Ereſius ſcribat, ſe vidiſſe aliquod, quod ducentorum annorum erat, neque tamen virium vllam iacturam fecerat. Optimum naſci apud Cyrenæos, auctor eſt ORIBASIVS. Veterum autem elaterium quale fuerit, & quantopere a noſtro diuerſum, accipiendum eſt ab DIOSCORIDE.

CXXXII. Inter medicinas Gnidiis familiares radicem ari, & florem æris, ex Hippocrate noſcimus. Forte ex Cypro, æris magno prouentu olim celebri inſula, æris florem acceperunt. Qua occaſione notamus cinnabarin, centum fere annis ante Hippocratis virilem ætatem, fuiſſe inuentam a Callia Athenienſe. Neque tamen dixerim, quod in medicinam tunc iam recepta fuerit.

CXXXIII. Quod æmulatio inter ſcholas Coam & Cnidiam fuerit, ex eo diſcas, quoniam Hippocrates calamum ſtrinxit in ſententias Cnidias, librum ſub hoc titulo proſtantem. Auctor eius fuiſſe perhibetur EVRYPHON: cuius ætas paulo ſuperior fuit Hippocratica. Quum vero duæ libri editiones memorentur: incertum eſt, vtrum Euryphon vtramque, an alterutram, & quam, dederit. Hippocrates ipſis oppoſuit ſuas obſeruationes

Coa-

Coacas: alibi etiam non diſſimulauit, quid non probare poſſit in Cnidiis. Reprehendit potiſſimum, quod ſigna morborum ieiunius tractauerint, quod nimis generalia inculcauerint: quod pauca remedia indicauerint, eaque fere nimis violenta, ſi ſeri & lactis vſum excipias: quod denique in morborum numero indicando nimii, in diæta præſcribenda nimis breues & adſtricti fuerint.

CXXXIV. Cnidiorum ſchola dedit etiam CTESIAM, qui medicum in Perſia egit, Artaxerxis temporibus. Magis celebratur ob hiſtorica ſcripta, quam medica: ſed horum pauciſſima hodie ſuperſunt: illorum maiora exſtant fragmenta, in quibus tamen maior fides a doctis omnibus requiritur. Subinde aliqua ad medicinam pertinentia, aut medici curioſitate non indigna, exhibet.

CXXXV. Rhodiam ſcholam mature deſiiſſe ſcribunt. Singularia non multa mihi de ea obtigerunt. Vrbs & inſula commerciis atque bonarum litterarum ſtudiis ſemper fuit florentiſſima, vsque ad triſte ac ſubitum excidium ſuum, quod terræ motus ſæculo II. attulit. Peculiare eorum opus fuit ærugo & ceruſſa: teſte VITRVVIO, vt & oſtrum ſeu rubrum Rhodium, quod ex conchylio marino ibi excipitur & præparatur. Celeberrimos

mos habuit artifices in ære laborantes, teſte STRABONE. Tota vrbs & inſula ſol[i] ſacra habebatur. De ſchola medica teſtem habemus GALENVM, de Aeſculapii cultu ANDROMACHVM: ſed de medicis ſcholæ meritis nihil reperio. Radix aliqua Rhodia hodieque celebratur: incertum vnde denominata. Roſa, quam in ſuis numis ſignant, aliquibus videtur eſſe flos balauſtii, ex quo pigmentum parare & lanis tincturam inducere nouerint.

CXXXVI. Cyrenaicæ regionis incolæ erant ex Græcia, atque ſeorſim Laconica, adducti: quanquam ante Lacones cum Batto profectos Cyrene memoratur: §. 81. In illa regione erat locus, cui nomen Balanagra, vbi Aeſculapius colebatur, ex Epidauro, vt PAVSANIAS docet, adductus. Sed vt Cyrenæi a Lacedæmonibus diuerſos ſe oſtendebant elegantium litterarum & philoſophiæ cultu: ſic videntur etiam ab Epidauriorum legibus deflexiſſe Aeſculapii ſacerdotes, cuius ſpecimen dedi §. 119. Scholam Cyrenaicam nemo veterum, quod meminerim, diſertis verbis laudat: ſed quod medici Cyrenæi, regis Darii temporibus, poſt Crotonienſes præſtantiſſimi fuerint habiti, luculentum teſtem habemus HERODOTVM.

CXXXVII.

CXXXVII. Tota regio, Apollini plurimum dedita, generis ſui hunc auctorem, æque vt Rhodus, oſtentabat. De præſtantia illius complura leguntur. Quod elaterium optimum produxerit, §. 137. dicebamus. Silphium, quod vel vni habebant Cyrenæi, vel optimum, in numis ſuis crebro exhibent, tam germina agens, quam florigeros caules oſtendens. Herbas odoriferas, præter ceteras regiones, optimas protuliſſe eam, præſertim autem crocum fragrantiſſimum, atque inter odores præcipue expetitum, multa diligentia comprobauit EZ. SPANHEMIVS, cum alibi ſæpius, tum data opera ad CALLIMACHVM.

CXXXVIII. Tandem etiam laudatur Italica ſchola Aſclepiadarum a GALENO, his verbis: certabant autem cum Cois & Cnidiis honeſtum illud certamen, quod Heſiodus prædicabat, etiam medici, qui Italiam incolebant, erantque tres hæ certantium inter ſe nobilium medicorum ſcholæ. Qua autem in vrbe quærenda illa ſchola ſit, neque ipſe indicauit, neque quisquam veterum, qui exſtant. Recentiores quidam Agrigentum Siciliæ, alii Crotonem nominant.

CXXXIX. Equidem Agrigenti aliquod Aeſculapii templum a POLYBIO memoratum inuenio. Crotonienſium nullum

ſe

ſe requirenti mihi obtulit. Porro etiam Tarenti aliquod nobis oſtendit imperator IVLIANVS, apud CYRILLVM. Nolim itaque negare, quod Sicilia, aut Italiæ illa pars, quæ magna Græcia vocabatur, Aſclepiea habuerit, inque iis Aſclepiadas, id eſt Aeſculapii ſacerdotes. At vero eosdem de genere Aeſculapii fuiſſe, perinde ac Tricceuſes, Epidaurios, Coos ac Cnidios, nondum compertum eſſe puto.

CXXXX. Mihi potius videntur Italici illi medici longe diuerſum fuiſſe ab Aſclepiadis genus hominum, a philoſophis Pythagoreis & Eleaticis deductum; quod omnium maxime effecit, vt res Aſclepiadarum dilaberentur, atque medicina, ſacrificulorum auaris præſtigiis atque ludibriis erepta, ſui iuris fieret. Nam quos Galenus laudat ſuis nominibus, Empedoclem, Philiſtionem, Pauſaniam: hos non medici magis, quam philoſophi, ſibi vindicant: omninoque videtur fieri non poſſe, vt aliquis ipſorum genus Aſclepiadeum probet.

CXXXXI. Sunt potius ex illis, de quibus CORNELIVS CELSVS, vir prudens, non ſolum medicus, ſcribit, primo medendi ſcientiam ſapientiæ partem fuiſſe: vt & morborum curatio, & rerum naturæ contemplatio, ſub iisdem auctoribus nata

ſit.

ſit. Atque hos inter ſapientiæ profeſſores numerat Pythagoram & Empedoclem. Hi vero quum per Italiam plures inflammaſſent ſapientiæ omnis & medicinæ ſtudio: horum non pauci inſtituerunt ægrotantibus, domi ſuæ decumbentibus, opem ferre, illorumque languoribus mederi. Quod quum antea factum non fuiſſet: quoniam Aſclepiadæ extra templum nulli opem ferbant; niſi forte, ex Lycurgi inſtituto, in caſtris ſuccurrerent ſauciis: noua hæc medicina clinica hominibus tam grata fuit, vt parum nunc Aſclepiadis, præ iſtis nouis clinicis, tribuerent; ciuitatesque certatim illos ad ſe vocarent.

CXXXXII. Hoc vero Galenus, qui pro Aſclepiadarum gloria vbique pugnat, ſtudioſe diſſimulat, mauultque, illos omnes Aſclepiadas haberi, quam permittere, vt medicina rationalis aliunde, quam a patrio ſuo numine, ad mortales perueniſſe crederetur. Sed quicquid cuique de hac coniectura mea videatur: illud negari nequit, quod philoſophiæ exortus finem & exitium Aſclepiadis attulerit: non peſtilentia aliqua excitata, quæ in ſolos illos graſſaretur, ſed exorta clinica, quæ extra templum, in lectulo ſuo decumbentibus, domi cuique ſuæ, ſuccurrebat, atque fas integrumque putabat, per domos vicosque ambulare: vnde pe-

riodeutarum, qui iidem ſunt ac clinici, nomen etiam acceperunt.

CXXXXIII. Quumque hi noui medici gratia florerent ac diuitiis cumularentur, ſi præſtare ſe dignos facta ſpe poſſent: ipſi, qui vere de genere Aeſculapii erant, periodeutæ fieri ſuſtinebant, atque vrbes obire, vt arte ſua hominibus prodeſſent: quod in ipſo noſtro Hippocrate Coo videmus; de quo mox dicemus, ſi aliqua ad medicinam ſpectantia, quæ inde ab Argonautis, vsque ad eius tempora, geſta ſunt apud exteras gentes, tum vero apud ipſos Græcos a poetis atque philoſophis facta ſunt, ſubiunxero. Atque iſto ſermone ea etiam complectar, quæ de philoſopho-medicis Italicis dicenda erunt.

## CAP. X.

### DE POETIS ET PHILOSOPHIS MEDICINAE CVLTORIBVS ANTE HIPPOCRATEM.

CXXXXIV. Ars quæuis, ſcientiaue, quæ ratione ac experientia comparatur, inueniri & amplificari ab vno quoque poteſt, qui, quæ eueniunt, diligenter notare, atque inter ſe rite comparare velit. Caſu multa fiunt, quæ attentos excitant,

citant, vt memoria conſeruent. Quæ poſitis iisdem conditionibus eodem modo eueniunt, quæque aliis deficientibus, aut nouis concurrentibus aliter ſuccedunt; viam pandunt ad cauſarum inuentionem. Sicque perceptio ſenſualis, memoria, & identidem recurrentium factorum obſeruatio hiſtoricam partem omnis ſcientiæ conſtituit: accedens autem iudicium in cauſas euentuum, per noua & repetita experimenta, penetrat, atque ſic tandem rationalem nexum euoluit.

CXXXXV. Apparet itaque, quod in omni hominum gente & genere aliqui potuerint obſeruandi occaſiones habere; ſique talia ad poſteros propagauerunt, de rebus ſalubribus ac inſalubribus aliqua ſcientia ſenſim ſuccreſcere debuerit. Porroque cognoſcitur, non debere nos, aut iuſte poſſe, inuentionem medicinæ vel vni genti, vel vni ſæculo, tribuere. Quoniam autem inculta barbaries in aliquibus gentibus citius diſcuſſa fuit, in aliis longius durauit: non potuit fieri, quin peregrinationes, vel commerciorum vel militiæ cauſa inſtitutæ, aut denique vnice ob venationem ſapientiæ & doctrinarum ſuſceptæ, artis ſalutaris incremento & propagationi plurimum prodeſſent. Id clarum poſtea fiet, quando illorum, quibus medicina ali-

quid debet, pleroſque peregrinatos ad litterarum cultu politiores gentes, cognoſcemus.

CXXXXVI. Ante, quam philoſophi cognoſcerentur, atque homines ſeſe ex inſtituto traderent ſapientiæ ſtudio, per ſatis longum tempus deprehendimus viros ſui æui præſtantiſſimos, qui omne genus doctrinarum vitæ vtilium carminibus conſcriberent, quorum aliqui quum ſe pro vatibus gererent, & apud celebria Græciæ oracula reſponſis in numeros redigendis operam ſuam addicere ſolerent: factum videtur, vt inde poetis vatum nomen deinceps perpetuo adhæſerit. Atque ſane antiquiſſimum eſt doctrinæ genus, quod per carmina inſtituit: cuius multas præ pedeſtri oratione prærogatiuas iam olim multi oſtenderunt.

CXXXXVII. Faciemus itaque initium a poetis, qui medicorum ordini adſcribi meruerunt, aut in hunc ordinem pridem relati fuerunt. Ex horum numero ſunt ORPHEVS & LINVS, quos ſupra attigimus, §. 82. etiam MELAMPVS nobis dictus fuit §. 83. HESIODVS operi ſuo, quod opera & dies inſcripſit, paſſim vitæ vtilia inſeruit, ſed quorum cauſa parum meretur in hoc ordine cenſeri. Videas tamen, veteres aliqua ſub eius nomine lauda-

laudare medica, quæ ad nos non perue-nerunt.

CXXXXVIII. HOMERVM, antiquiſ-ſimum virum, medicinæ non ignarum nec incurium fuiſſe, multa arguunt Quum tot locis mentionem faciat vulnerum, ex quibus mors heroum conſequuta fuit, ita perite de illis canit, vt nunquam fe-re aliquid proferat, quod præceptis me-dicinæ, de vulnerum grauitate aut letha-litate, non ſatis congruat. Meminit etiam medicinarum quarundam, vt nepenthis, de quo §. 28 & 83. iam diximus, vt & moly ac radicis cuiusdam amaræ, ad vul-nerum curationem vtilis; de quibus eru-ditiſſimi medici ſeorſim commentati fu-erunt. Legendum medicis Homerum ob alias rationes multas exiſtimant docti viri, tum vero ob id maxime, quod pro-prietatem vocum Græcarum omnes inde Græci, communi conſenſu quodam, diſcendam putauerunt: quare non faci-le quisquam Græca medicorum volumi-na recte intellexerit, niſi ſubinde hunc doctrinæ omnis linguæque Græcæ fon-tem conſuluerit. Adde quod conditio-nem medicinæ, ac medicorum, illius tem-poris antiquiſſimi, non aliunde, quam ab Homero licet diſcere. Sic PLINIVS iam, vbi de vſu fontium ſalubrium medico agit, ab Homeri ſilentio argumentum ducit,

 quod

quod tunc nondum fuerit illa medicina, quæ nunc aquarum perfugio vtitur: cui tamen alicubi contradicit PHILOSTRATVS.

CXXXXIX. EPIMENIDES Cretenſis, vates nobilis, magnus peregrinator & καθάρτης, ſeu expiator. De hoc commemoratum legitur, quod in expiationibus præcipue vſus fuerit radice ſcillæ: quæ ab ipſo epimenidium denominata eſt. Cum ipſo vixiſſe Pythagoram, & ab altero alterum profeciſſe, varii teſtantur. Sed Pythagoras etiam, & ab eo deducti viri, ſcillæ plurimum ſolebant tribuere. Quin antiquiorem huius radicis vſum iam ſupra §. 85. attigimus, quum de Melampode, eiusdem inſtituti viro, diceremus. Fabula de ſomno eius per LVII. annos producto, a prudentioribus pridem ad longam a patriæ abſentiam refertur, atque eruditionis venandæ cauſa ſuſceptam peregrinationem, qua præcipue herbariæ rei ſtudio occupatus fuiſſe dicitur.

CL. THALETAS, Cretenſis etiam, qui & THALES dicitur, poeta & muſicus celebris fuit, de quo commemoratur, quod Lycurgus ipſum Lacedæmonem vocauerit, vt homines muſicam doceret: cuius ope varios morbos & ipſam peſtilentiam curauiſſe dicitur.

CLI. Ab hoc diuerſus eſt THALES Mileſius, origine Phœnicius, ſed Mileti, Aſiæ oppido, natus. Hic, proauorum ſuorum ſapientia domi imbutus, Aegyptum deinde adiit. Semina naturalis philoſophiæ inter Ionas Græcos primus ſparſit, cuius læte effloreſcentis ſtudii in medicinam quoque redundarunt fructus. Eodem tempore vixit PHERECYDES, ab inſula Syro dictus Syrius, qui primus omnium de natura ſcripſiſſe perhibetur. Idem Pythagoræ auctor fuit, vt Aegyptum, aliasque nationes ſapientiæ ſtudio celebres, adiret.

CLII. Ipſe vero PYTHAGORAS Samius magnum & celebre, præter ceteros Græcos, nomen adeptus eſt magnis meritis in vniuerſam philoſophiam & in medicinam. Quare ipſum primum recenſet Corn. Celſus inter ſapientiæ profeſſores medicinæ peritos. Poſt longas peregrinationes tandem in Italiæ, ſeu magnæ Græciæ, vrbe Crotone conſedit, quam ſua doctrina ita illuſtrauit, vt, quamquam non magna & potens, celebritatem tamen præ longe florentioribus magnam conſequuta ſit. Dicitur vitam longiſſime protraxiſſe, vltra centum annos.

CLIII. Medicina eius potius videtur occupata fuiſſe conſeruandæ bonæ valetudinis, per optimam diætam, præceptis

 inue-

inueniendis, quam morbis per medicamenta profligandis. Nam diſerte de eo ſcribit IAMBLICHVS, quod pharmacis minus, & vix alibi, quam in vulneribus & vlceribus curandis, vſus fuerit: quodque cataplaſmatibus & vnguentis, quin interdum incantationibus potius vſus fuerit, quam ad ſecandum & vrendum veniret: quæ ratio medicinam exercendi longiſſime durauit in Eraſiſtrateorum ſchola, de qua inferius multa adducentur.

CLIV. Numeris, muſicæque multum tribuit: videturque hæc res deinde in pulſuum rythmis, inque annorum climactericorum atque dierum criticorum obſeruatione, manſiſſe. Origo autem illius ex Aegypto & interioribus Aſiæ gentibus arceſſenda videtur: quippe has omnes longa peregrinatione luſtraſſe eum conſtat.

CLV. Singularia de ipſius medicina referre haud adeo multa licet: ſed ex diſcipulis magis noſcetur. Braſſicæ laudes ipſum valde celebraſſe, ex PLINIO nouimus. Aceti ſcillitici vſum ab ipſo increbuiſſe, ex GALENO diſcimus: confirmatque PLINIVS, qui tarditatem aurium gargariſatione purgare & tranſitum auditus aperire hoc acetum ſcribit. Enimuero ille tranſitus auditus, quem hodie tubam

tubam Euſtachianam appellamus, eſt inuentum ſcholæ Pythagoreæ.

CLVI. Dolendum eſt, quod diſcipulorum Pythagoræ, & ab iis longo ordine deductorum virorum, ſcripta plurima interciderunt. Tantum non omnes celebrantur ob naturalis ſcientiæ & medicinæ præſtantiſſimam cognitionem. Veteres, quorum ad nos peruenerunt ſcripta, illorum non facile meminerunt, niſi vbi reprehendere illa inſtituerunt: quod ſubinde ſatis iniuſte factum eſſe, vtique manifeſtum eſt.

CLVII. Quam honorifice HERODOTVS de Crotonienſium medicina ſcripſerit, ſupra §. 136. indicabamus. Operæ itaque pretium faciemus, ſi viros Crotonienſis ſcholæ alumnos propius inſpexerimus. ALCMAEON Crotonienſis omnium facile illuſtriſſimus ex Pythagoræ auditoribus euaſit: quem primum de natura librum ſcripſiſſe CLEMENS ALEXANDRINVS reliquit: DIOGENES autem LAERTIVS idem quidem teſtatur, cum eo tamen, quod plurima medica in illis fuerint. CHALCIDIVS tandem nos edocet, quod primus anatomen aggredi auſus fuerit, deque oculi natura multa & præclare in lucem protulerit. Sed non in oculo ſolum elaborauit, verum etiam in aure. Inuenit enim, quem

ſupra § 155. attingebamus, tranſitum auditus: quod ignoraremus, niſi, qui refutare illum aggreſſus eſt, ARISTOTELES, nomen eius nobis prodidiſſet.

CLVIII. Longius in organo auditus perſcrutando progreſſus eſt, eiusdem ſcholæ alumnus, EMPEDOCLES Agrigentinus, quem CELSVS noſter Pythagoræ proximum ponit. Auditum fieri docuit, quando aer allabitur cochleiformi fabricæ illi, quam in interiori auris parte exacte elaboratam, inſtar tintinnabuli ſuſpenſam eſſe & pulſari dixit. Clarum eſt, quod cochlea oſſi petroſo inſculpta huic viro cognitiſſima fuerit.

CLIX. Idem etiam amnio nomen primus impoſuit. Scriptis eius deinceps vſum fuiſſe, qui inter Aſclepiadas de anatome primus ſcripſit, Dioclem Caryſtium, ex PLVTARCHO cognoſcimus. Quod in medicina magica quædam ſequutus fuerit, ex DIOGENE LAERTIO conſtat: qui de hoc viro omnino legi debet.

CLX. Maximam ipſi laudem peperit curatio feminæ, quæ ad triceſimum vsque diem, matricis ſtrangulatione detenta, ſine reſpiratione iacuerat: vnde ἡ ἄπνους multum in ſcriptis veterum celebratur. Quæ circa illam acciderunt, deſcripſit diſcipulus eius PAVSANIAS, Empedo-

pedocli in primis dilectus homo, ad quem librum de natura exarauit.

CLXI. Habuit Empedocles æmulum ACRONEM, medicum Agrigentinum, arrogantem, vt veteres deſcribunt, hominem & ſectæ empiricæ auctorem: de quo neſcio an debeat Pythagoreis accenſeri, quare illum alii loco reſeruabo.

CLXII. Crotonienſis ſcholæ alumni certi fuerunt EPICHARMVS & METRODORVS, Coi, qui cum patre in Siciliam tenera ætate venerunt atque in Pythagoræ diſciplinam. Celeberrimus ob multa merita factus eſt Epicharmus, grammaticus, poeta comicus, philoſophiæ naturalis ac medicinæ peritus. Multa ſe ab ipſo accepiſſe PLINIVS eo teſtatur, quod inter auctores, vnde ſua accepit, crebro Epicharmi nomen poſuit. Vtinam ex bibliothecis tandem producatur, ſi verum eſt, quod aliqui perhibent, in Vaticana Romæ aſſeruari illius monumenta.

CLXIII. TIMAEVS Locrus clarum nomen conſequutus eſt exiguo libello, qui inter Platonica exſtat, de anima mundi & natura. Amplius illum diduxit PLATO, ad quem plura de illo dicemus. Neruos docuit prima præbere ſtamina incrementi augmentique, quod firmæ partes noſtræ capiunt: quod dogma, patrum noſtro-

noſtrorum æuo, in ſcenam denuo productum & noua luce illuſtratum videmus. De iis, quæ in Timæo medice dicta ſunt, GALENVS fuit commentatus: ſed quoniam intercidit ſcriptum, neſcire cogimur, vtrum Locri Timæi ſcriptum potius, an Platonis Timæum, illuſtrauerit.

CLXIV. Atque hæc habui, quæ dicerem de Pythagoræ certis alumnis, & Hippocrate antiquioribus. Hæreo in DEMOCEDE Crotonienſe, clariſſimo medico, quem nihil prohibent temporum quidem rationes, quo minus demus Pythagoræ diſcipulum: ſed hiſtoricorum deeſt teſtimonium. Quare ſubiungam illum patriæ ſuæ ceteris ornamentis, liberum cuique faciens, an velit philoſophis adſcribere, a Pythagora ad medicinam adiutis. Hiſtoriam viri HERODOTVS, isque vnicus, ni fallor, ample tradit.

CLXV. Scilicet Democedes, patris ſui Calliphontis iracundiam & moroſitatem non ferens, Crotone relicta Aeginam petiit, & ſpeciminibus artis ſuæ mox inclaruit; quare Aeginetæ ipſum inſequenti anno conduxerunt talento. Athenienſes tertio anno ad ſe traxerunt, centum minarum pretio: quarto anno Polycrates, Sami tyrannus, binis talentis ad ſe acciuit. Quum Polycratem Perſæ interfeciſſent,

feciſſent, Democedes, cum reliqua familia Polycratis, in Perſas abducebatur. Maxime quidem diſſimulabat artem ſuam: ſed proditus cogebatur Dario operam dare, quum is pedem luxaſſet, eumque medici Aegyptii infelici ſucceſſu tractarent. Quum ſanitatem regi ex voto reſtituiſſet, & Atoſſæ etiam reginæ, ex vlcere mammillæ periclitanti, ſuccurriſſet, ampliſſimum aulæ fauorem conſequutus, illo callide vſus fuit ad fugam comparandam, reditumque in patriam.

CLXVI. Sed redimus ad philoſophos medicos. Celebris eſt HERACLITVS Epheſius, homo moroſus & μισάνθρωπος, cuius ſcripta, quæ pridem interciderunt, genio viri fuerunt ſimilia, abrupta, obſcura & inuoluta. Auctor fuit doctrinæ de igneo principio omnia peruadente, omnisque motus principio: quod Hippocrates noſter aliquibus locis propoſuit: & vnde calidum innatum, in ſchola antiqua medica tantopere decantatum, originem ſuam accepit.

CLXVII. Huic merito iungimus DEMOCRITVM, virum, Celſi noſtri iudicio, iure magni nominis, cuiusque ſcripta, Cicerone teſte, minime obſcura fuerunt: quemadmodum ipſe philoſophus hilaris animi & erecti fuiſſe perhibetur. Sed de vita eius parum explorati

ad

ad nos peruenit. Videtur hoc accidiſſe ex eo, quod ſophiſtæ olim, exercendi cauſa ſtili, magnis & celebribus viris varias orationes & epiſtolas affinxerunt: quæ quum initio animi tantum & exercitationis gratia eſſent conſcriptæ, deinde ab ignaris conſilii, tamquam vere & ſerio eſſent ſcriptæ dictæue, aſſeruatæ & ad conturbandam hiſtoriam ab inſequutis fuerunt adhibitæ. Id maxime contigit noſtro Democrito & Hippocrati, in cuius operum calce farrago iſtiusmodi quisquiliarum deprehenditur.

CLXVIII. Abderam, Thraciæ ciuitatem, ipſi adſignant patriam; quamquam CYRILLVS Alexandrinus Democritum phyſicum ab Abderita, notabili temporum interuallo, disiungit. Nobili apud ſuos loco natus, patre opulentiſſimo, puer magos & Chaldæos habuiſſe magiſtros dicitur. Deinde Leucippum Eleaticum audiuit, & cum Pythagoreis etiam verſatus fuit. Tandem ad itinera longiora conuerſus, per Aegyptum atque interiores Aſiæ tractus, vsque ad ſenectutem peregrinatus, ampliſſimum patrimonium conſumſit. Redux in horto ſuburbano ſolitariam vitam egit, experimentaque eorum, quæ annotauerat, cepit, phyſica, chemica, anatomica: atque libros exarauit. Quum mores eius abhor-

rerent

rerent a ciuium ſuorum ſtudiis, ipſeque rideret omnia, quæ illi, opibus parandis aut honoribus conſequendis intenti, maxime ſerio agebant: inſanire ciuibus, vt ſermo eſt, videbatur, qui curando ipſius morbo ita ſtudebant, tamquam in vno ſenecione publica omnium ſalus verſaretur. Taceo plura, quæ fabulam nimis ſapiunt.

CLXIX. Singularia de eo referuntur, quod omnium herbarum ſuccos expreſſerit, & ætatem inter experimenta conſumſerit: quod ebur emollire & calculos decoquendo in ſmaragdos mutare nouerit: quod chamæleontem per ſingula membra diſſecuerit, & de natura eius ſingulare volumen condiderit: quod ſcripſerit περὶ τῆς λίθου, de lapide; quam deſignationem quum de lapidibus in genere, aut de lapide magnete accipere liceat, aliqui, aurum vbique ſomniantes, de lapide philoſophorum tanto acceperunt ſecurius, quum exſtent indices librorum chemicorum manu exaratorum, quibus Democriti nomen præfixum eſt, quique de arte chryſopoea agunt. Sed qui inſpexerunt, affirmant nobis, indubia ſigna, recentius æuum arguentia, in illis deprehendi.

CLXX. Præcipue tamen meretur Democritus, vt rationem eius hic habeamus,

mus, quia auctor eſt philoſophiæ corpuſcularis, quæ, a diuerſis auctoribus ſubtilius, atque alio modo, tornata & læuigata in medicinam identidem introducta eſt, atque hodie etiam in illa verſatur.

CLXXI. Democriti ſeruum aliquando fuiſſe ſcribunt DIAGORAM Melium, qui ab ipſo viſa & audita ad medicinæ vſum contulerit. Veteres meminerunt alicuius collyrii ad oculorum inflammationes, quod opium, cum ſtibio, ærugine & ſquama æris, recipit. Sitne illud huius Diagoræ, dubitari propterea poſſe videtur, quia opium, in oculorum & aurium inflammatione, damnatum ab ipſo fuiſſe Dioſcorides ex Eraſiſtrato addocet. Sed forte exceſſum damnauit. Quo admiſſo poterit ipſi adſcribi collyrium, tam moderate opio conditum, vt ad CXXXXIV. partes vna tantum opii ſit adiecta: quæ minima portio vix ſentiri in collyrio, certe parum periculi creare, poterit. Ceterum fœda atheiſmi macula adſperſus eſt hic Diagoras: de quo, poſt alios, conſulatur PETR. BAELIVS.

CLXXII. Finimus in SOCRATE, Atheinenſium clariſſimo & optimo philoſopho, cuius medicina intra hæc, docente XENOPHONTE, conſiſtebat: monebat ſuos auditores, vt magnam habe-

rent

rent valetudinis curam, tum a peritis diſcendo, quæ commoda ſint; tum & totam per vitam de ſe obſeruando, quis potus, quis cibus, quiſue labor conferat, quoque modo illis vtendo ſaluberrime viuant. Qui enim ipſum ſe ita obſeruat, difficile medicum quempiam reperturus eſt, cui ea magis ſint cognita.

CLXXIII. Concludemus hoc caput commemoratione aliquot philoſophorum barbarorum, qui medicinæ ſe peritos oſtenderunt in peregrinationibus ad Græcos inſtitutis. Hos inter celebratur apud Platonem maxime XAMOLXIS, ex Thracum vel Getarum gente, qui ſuis medicinæ auctor fuiſſe perhibetur. Multum in ea locum fecit incantationibus. ABARIS quoque, Scytha hyperboreus, multum celebris fuit, præcipue ob talismanica amuleta, quorum ope integras vrbes a peſtilentia liberas in perpetuum præſtiterit. Difficillimum autem videtur conciliare, quæ temporum rationibus repugnantia de eo feruntur. Platonis iudicio parum a Xamolxide diuerſa eius philoſophia & medicina fuit.

# CAP. XI.

## DE RE ATHLETICA ET MEDICINA GYMNASTICA.

CLXXIIII. Eo deducti ſumus, vt nunc finem libro priori præfixum, attigerimus. Sed tranſitum ad Hippocratem Coum nondum licet facere, niſi prius de inſtituto athletico, ſane vetuſtiſſimo, egerimus, & ex eo ortam atque enatam medicinam gymnaſticam conſiderauerimus.

CLXXV. Antiquiſſimis ſane temporibus apud Græcos vigebat ſtudium, corpora ſua ad celeritatem atque robur rite comparandi: quique in his præter ceteres excellebat, admirationi erat laudemque conſequebatur. Quare æmulatio homines inceſſit, obſeruarique cœptum eſt, quid alacriores & ad celeritatem aptiores reddere poſſet, quidue huic fini contrarium eſſet. Neque minus in ſe quisque, atque in aliis, annotauit, quo pacto robur augeri aut atteri & imminui poſſet. Deinde ipſum quoque exercitium & vſus docuit aliqua artificia robur & celeritatem tempeſtiue combinandi, vt vincere aliquem ac proſternere liceret; rurſusque alia fuerunt artificia ſucceſſiue exco-

excogitata, quibus aduerſarii artem vincere & eludere aliquis poſſet.

CLXXVI. Atque ſic enata eſt aliqua ars corporum vires intendendi, bonumque habitum eorum augendi: cui omnes liberi per Græciam homines prope inſano ſtudio, a pueritia ad virilem vsque ætatem, quin aliqui per omnem vitam, erant deditì. Nomen non vnum res eadem accepit. Dicebatur enim athleticum, quoniam præmium, certaminis victori deſtinatum, vocabatur ἆθλον. Hinc decertare eſt ἀθλεῖν, & perſona, quæ actu decertat pro præmio conſequendo, aut ſe certaminibus præparat, eſt vocata ἀθλητὴς.

CLXXVII. Quoniam autem certamina illa nudi toto corpore ſubibant, vocabatur locus, quo ſe exercebant, γυμνάσιον, qui nudi exercebantur, οἱ γυμναζόμενοι, qui artem demonſtrabat & exercitia dirigebat, ὁ γυμναστὴς: totumque inſtitutum gymnaſticum appellabatur.

CLXXVIII. Certamina etiam ἀγῶνες Græce appellantur: hinc factum eſt, vt agoniſticum etiam diceretur inſtitutum. Sed hoc nomen re vera latius patet, & ad ingeniorum etiam certamina pertinet, vt poetica, muſica, theatralia.

CLXXVIIII. Admittebantur ad illa non niſi liberi homines, nullaque ignominiæ nota vmquam affecti: omninoque legimus,

mus, quod nobiliſſimos viros, Troianis temporibus, haud puduerit in certamina hæc deſcendere. Atque tunc quidem videntur omnia fuiſſe lucratiua. Sed progreſſu temporis inſtituta fuere ſacra totius Græciæ certamina, Olympia, Pythia, Nemea & Iſthmia, in honorem deorum aut heroum, iuſto tempore recurrente, celebrata: quibus pro omni præmio erat palma & corona; ac victorem præconis voce coram vniuerſis Græcis citari. Omnes enim ciuitates ad illa ſacra mittebant, qui ſuo nomine pompæ intereſſent, & ſacrificia offerrent.

CLXXX. Quisquis ſententia iudicum victor in his ſacris certaminibus declaratus fuerat, in eo patria cenſebatur ſua coronari. Hinc ipſi reduci permagni habebantur, omni ſua vita, honores, cenſus equeſtris dabatur, ex publico alebatur. Omnium tamen maxime honorificum erat, curſus certamine in Olympiis ludis ſuperiorem fuiſſe. Is enim, illa olympiade tota, faſtis nomen dabat, inter omnes Græca lingua vtentes populos.

CLXXXI. Efficiebant igitur tanta tamque honorifica præmia, vt tantum non omnes cuperent ea adipiſci. Quumque ſæpe accideret, vt infimæ ſortis ciues hac ratione emergerent, inque ordinem primorum aſcenderent: hæc res fere effecit

cit, vt opulentiores puderet illis ſe intermiſcere, vbi pauperes aut inferioris ordinis homines competitores habituri erant. Quare abſtinebant fere a reliquis omnibus, ſolisque equorum ac curruum agitationibus operam dabant.

CLXXXII. Præter autem illa antiquiſſima totius Græciæ ſacra certamina, erant in ſingulis vrbibus aliqua, vbi propoſitis præmiis lucratiuis certabatur. Sæpe etiam regum ac principum funera ludis indictis frequentiora & ſpectatiora reddebant. Atque huiusmodi agones δωρῖται, vel ἀργυρῖται, dicebantur: quia victores argenti certam ſummam, aut pretioſa vaſa, arma, veſtes, accipiebant.

CLXXXIII. Exercitia autem, quibus in certaminibus iſtiusmodi operam dabant, non fuere vna ſemper & eadem: ſed diuerſis temporibus multum eſſe mutatum legimus, vt adiicerentur quædam noua, aliqua abrogarentur, aut in deſuetudinem abirent. Quæ vero maxime recepta fuerunt, paucis indicabimus.

CLXXXIIII. Primarium, & a primo initio ad totius inſtituti extremum finem receptum, & ſemper honoratum fuit certamen CVRSVS. Decurrebant autem ſtadium, quod erat ſexcentorum pedum, qui paſſus CXX. conficiunt. Hercules, ordinaria hominum ſtatura maior,

ior, Olympicum ſtadium per tot παραθέσεις τῶν ποδῶν, dicitur dimenſus. Illud ſpacium qui a carceribus ad metam decurriſſet, ſtadium perfecerat: qui confecto ſtadio, ſine interquieſcendi mora, ad carceres reuerſus fuerat, δίαυλον abſoluerat. Qui ſæpius, duodecies aut vicies & quater, eadem ſpacia vno halitu emenſus fuerat, δολιχόδρομον peregiſſe cenſebatur.

CLXXXV. Currebant ſimul, quos ſors deſignauerat, quaterni. Qui quauis decurſione primi fuerant, προτερήσαντες, deinceps iterum iterumque quaterni decurrebant, donec, deficientibus pluribus, certamen paucorum fiebat: quorum cauſa hemidolichus aut integer dolichodromus inuentus eſt. Nam quum victoria in ſacris certaminibus, niſi vni, non tribueretur: erat tamdiu decurrendum, donec, omnibus deficientibus reliquis, vnus apertiſſimam victoriam adipiſceretur.

CLXXXVI. Curſui pedeſtri ſubiungebatur equeſtris, qui vel ſingulis equis fiebat vel iunctis alicui currus generi, binis, quaternis, pluribus. Erat autem τὸ ἱππικὸν ςάδιον vtique longius pedeſtri: habebatque inter alia, quæ inſtitutum noſtrum non capit, ſingularia, illud etiam, quod non agitator equi aut curruum, ὁ ἡνίοχος, victo-

victoriam ſibi acquirebat, ſed equi aut currus domino. Fieri itaque poterat, vt abſens victoriam adipiſceretur: & forte ſæpiſſime abſens aut quieſcens fuit dominus. Verum aurigæ iſti non erant viles perſonæ, ſed itidem nobiliſſimæ, & plerumque domino amiciſſimi ac proxima cognatione aut affinitate iuncti: qui deinde a domino muneribus exornabantur. Poterat etiam vnus homo plures currus in certamen mittere.

CLXXXVII. Alterum exercitium erat SALTVS, ſeu illud motus genus, quo corpus cum celeritate ad notabile ſpacium, aut in altum promouetur. Nihil ipſi cum ſaltatione erat commune. Mirum eſt, quam prodigioſos aliqui fecerunt ſaltus, ſupra quinquaginta pedes in longitudinem ſemet proferentes. Eam autem facultatem conſequebantur, dum ponderibus grauati exſilire annitebantur, pondera plumbi grauia humeris aut thoraci, pedibus autem calceos ex eodem metallo aptantes. Sub his ſaltum facere adſueti, quando expediti ac leues easdem vires, quas ponderibus antea grauati, intendebant, mirifice promouebantur. Quisquis ſaltum moliebatur, manibus tenebat graues maſſas ex plumbo, halteres dictas: quorum loco fruſtra aliqui neſcio quas perticas commenti

 ſunt,

ſunt, & pro halteribus ἀρτῆρας in veteribus libris repoſuerunt.

CLXXXVIII. Tertium exercitii genus erat DISCVS, ſeu maſſæ cuiusdam grauis, ex lapide aut ferro, in altum & longum proiectio: vbi victor is erat, qui quam longiſſime proieciſſet. Longiſſimum ſpacium, quod vmquam notatum fuit, erat XCV. pedum.

CLXXXVIIII. Quartum certamen erat in iaculo, quod ἀκόντιον Græci vocant, quam longiſſime proiiciendo. Sed huius fere eſt rariſſima mentio, neque obtigit illius ſatis perſpicua deſcriptio. Hæc autem modo expoſita quatuor, vocabantur exercitia leuia, quia leuitate corporis & agilitate potiſſimum indigebant & peragebantur. Quæ nunc ſequuntur, grauium nomine deſignabantur.

CLXXXX. Quintum exercitium, inter grauia autem primum, erat LVCTA, quam obibant toto prius corpore ceromate inuncti, ac deinde puluere conſperſi. Erat autem alia deiectoria, qua ſe certantes mutuo complectebantur, inuicemque conſtringendis corporibus tamdiu connitebantur, donec vnus proſtratus eſſet: quo facto certamen finitum erat: aliud autem luctæ genus erat ἀκροχειρισμός, vbi ſtantes manum manui, frontem fronti coniungebant, ſicque omni niſu

niſu inuicem premebant, donec alteruter loco ſuo pulſus eſſet.

CLXXXXI. Sextum denique exercitium erat PVGILATVS, vbi ſolis pugnis res agebatur. Scilicet duo, quos ſors aut certandi libido coniunxerat, nudi conſiſtebant, debebatque alter ictum pugni excipere, quocunque ſui corporis loco inferre eum aduerſarius vellet: deinde patienter eundem eodem loco recipere: in quo tamdiu pergebatur; donec alteruter victum ſe aut voce, aut manibus demiſſis, aut morte ſua teſtaretur. Cruentum hoc & cum vitæ ac ſanitatis periculo coniunctum certamen ſæpe legibus prohibitum ac proſcriptum, ſed identidem reuocatum fuit. Vtebantur initio nudis pugnis: deinde autem cæſtibus munitis, qui vel ex corio erant, certa lege, interpoſitis multis nodis, conſtricto, vel prorſus laminis æreis communiti.

CLXXXXII. Ex lucta & pugilatu compoſitum certaminis genus erat, quo maxime pueri exercebantur, PANCRATIVM. Nihil prohibebat in illo ſe complecti, proſternere; proſtrato autem licebat detinere illum, a quo deiectus fuerat, cum ipſo ſe volutare, omnique niſu efficere vt ſuperior fieret: quo fine

manibus, calcibus, vnguibus dentibusque abuti nihil prohibebat.

CLXXXXIII. Si quis omni quinque enarratorum exercitiorum genere decertare noſſet, vocabatur πένταθλος: quorum multos fuiſſe ex veterum lectione intelligimus. Vt & aliquos inuenimus, qui in vnis iisdemque ludis palmam ſimul retulerunt de vno vel pluribus ex certaminibus leuibus, & adiecerunt luctæ vel pugillatus certamen, indeque victores receſſerunt.

CLXXXXIIII. Qui ſe committere certaminibus his, in conſpectu totius Græciæ obeundis, cupiebant, ſtudere debebant acquirendo corporis habitui ſingulari, qui athleticus aut gymnaſticus vocabatur; in quo magnitudo virium corporisque moles & grauitas ita coniungerentur, vt agilitati & celeritati nihil hinc impedimenti enaſceretur. Non itaque pingue & inerti mole circumfuſum corpus requirebant: ſed toroſum, id eſt validis muſculis præditum. Atque vt agilitas conſeruaretur, interponebant granibus exercitiis leuiora illa. Id denique operam dabant, vt omnia corporis membra æqualiter robuſta & agilia fierent atque conſeruarentur.

CLXXXXV. Iſtum igitur habitum acquiſituri diæta vti debebant quam accuratiſſi-

ratiſſima, longo rerum vſu magiſtris atque præfectis gymnaſiorum cognita. Cibi debebant eſſe boni ſucci, copia autem tanta, quantam quisque poſſet capere: in quo facile progrediebantur conſuetudine ad incredibilis quantitatis tolerantiam. Erat autem opus præſcripto abſolute obſequi, tam in quantitate aſſumendorum, quam in qualitate. Cibus in cœna fere erat caro ſuilla aſſa, frigida, cum pane triticeo, a furfuribus non liberato: qualem συγκόμιστον veteres vocant. Potus erat vinum, quod quisque locus optimum, iudicio præfectorum, præbebat, præſcripta etiam quantitate aſſumendum. Atque hæc eſt illa ἀναγκοφαγία athletarum, multis veterum teſtimoniis comprobata.

CLXXXXVI. Vbi cibo potuque repleti erant, ad ſomnum capiendum dimittebantur, qui longus & in multum iam diem protractus imperabatur. Tempeſtiue tandem excitatis prima eſſe cura debebat, vt aluum a fæcibus exonerarent: quæ ſi non ſponte officium faceret, iniecto clyſtere ducebatur.

CLXXXXVII. Ne ventriculus etiam heſterni cibi reliquias contineret, euacuandus & deplendus erat vomitu diætetico: quem facile concitabant multa aqua tepida confertim ingeſta, atque tunc digito

gito faucibus intruſo. Qui ſi nondum ſatisfaceret, digitale aut lorum vomitorium adhibebantur.

CLXXXXVIII. In hunc modum euacuati modicum prandium accipiebant & aliquanto tempore quieſcebant. Vbi ſignum, pulſati diſci ſonitu, datum erat, ad exercitia veniebatur inſtituenda. Primum exuebantur totoque corpore vnguebantur, mox puluere conſpergebantur: qui oleum, ne nimis cito deflueret, impediebat, illud autem & agilitatem membris afferebat, & efficiebat, ne ſudore valde defluerent: quod euitare, quantum fieri poterat, conabantur.

CLXXXXVIIII. In ipſis exercitationibus a leuibus progrediebantur ſemper ad grauiora, atque ab his ad leuiora redibant, inque his deſinebant. Id autem ſemper dabant operam, vt omnia membra æque exercerentur atque vſu confirmata robuſtioraque redderentur: & vt ex æquo corporis grauitas compararetur & agilitas celeritasque conſeruaretur.

CC. Si deluſum eſſet, apotherapiæ, quæ & ἀφίδρωσις, hoc eſt, deſudatio vocabatur, haud mediocris opera dabatur. Hac autem apte cauebatur, ne corpori a tanta virium contentione, atque membrorum omnium agitatione, laſſitudo ac grauitas inhæreſceret, quæ febrem accen-

cenderet, aut alia incommoda afferret. Balneum itaque ingreſſi, initio ſtrigili deradebantur, vt ceroma, ipſique inſperſus puluis, auferrentur. Hoc facto frictiones, curioſa lege & gradibus certis, inſtituebantur, vt ex poris cutis elicerent, quicquid in motu erat, & grauitatem, ſi remaneret, certo producturum erat. Tum lauabantur, initio calida, mox frigida: hæc enim balnea ad carnes augendas fouendasque in primis facere perſuaſum habebant. Tandem vncti veſtes recipiebant, ſeque ad cœnam, ab hac autem, bene repleti, ad ſomnum conferebant.

CCI. Atque hoc vitæ genere vtebantur athletæ, qui enixo ſtudio cupiebant efficere, vt in certaminibus palmæ gloriam conſequerentur. Præcipue autem oportebat illos, qui nomen inter candidatos iam profeſſi erant, tempore προαγῶνος, quod aliquot erat menſibus definitum, in ipſis vrbium, vbi ſacra edebantur certamina, gymnaſiis degere, ibique diætæ præſcriptæ accuratiſſime ſemet mancipare. Quam ſtricte reliqui, quibus magis licebat ſui iuris eſſe (Græci medici ἰδιώτας vocant, & gymnaſio incluſis opponunt), eas leges obſeruauerint; & quæ diæta puerorum, gymnaſia iam frequentantium, fuerit, non inuenio

nio tam accurate conſignatum. Vt aliqua fuerint diuerſa & minus adſtricta: certe non omnino fuerunt diſcrepantia: quod facile addocent, quæ de moribus Græcorum, & ab his ad Romanos propagatis, apud ſcriptores omnis generis leguntur.

CCII. Apparet ex dictis, qua diæta, quantis, quotque moliminibus acquiſiuerint habitum talem corporis, qui plenus & aſpectu gratus, viuide coloratus eſſet, ad labores grauiſſimos robore ac pondere ſufficeret, neque tamen vllo modo officeret agilitati & celeritati. Scilicet non otioſam atque corpus grauantem pinguedinem quærebant corpori circumfundere, ſed potiſſimum reſpiciebant muſculorum robur, tendinumque firmitatem: quam mire intenſam atque auctam illis motuum corporis ſui intenſionibus, atque eorum varietate, ſibi comparabant. Atque hic habitus eſt athleticus, apud veteres tantopere decantatus: qui periculoſus & lubricus erat, non ſolum quia minimo peccato diætetico imminuebatur, vt athleta ſe ipſo debilior mox reddi poſſet, niſi in diæta ſtricte obſeruanda perſiſteret: verum etiam quia, quando in ſummo vigore & repletione erant, facile apoplexia aut vaſo-

vaſorum perruptione corripiebantur, vitæque pericula ſubita incurrebant.

CCIII. Apparet ex his, quod non ſolum comparando iſti habitui, verum etiam eidem cuſtodiendo & conſeruando, periculisque valetudinis ac vitæ auertendis, continuo opus fuerit conſiliis virorum medicinæ gnarorum. Quare legitur gymnaſiis felicium vrbium ſemper adiunctum fuiſſe medicum ὑγιεινὸν, hancque priſcorum medicinam ὑγιεινὴν, quæ boni & optimi habitus acquiſitionem & conſeruationem pro fine habet, omnesque rerum, quæ in ſcholis non naturales vocantur, vſus & recte adhibendi rationes demonſtrat, in gymnaſiis potiſſimum valuiſſe.

CCIIII. Quumque, inter tam validos motus, frequenter accidere debuerit, vt currentes ac ſaltum exercentes laberentur atque membra luxarentur, inque lucta id longe frequentius, vna cum fracturis, accidere debuerit: etiam horum cauſa artem luxata reponendi, & fracta conſolidandi fuiſſe requiſitam. Quod quum medicorum initio fuerit: temporis progreſſu translatum eſt ad illos, qui vngueſre, fricare, lauare, enemata iniicere, ſub directione medicorum, edocti fuerant, viles plerumque perſonas. Atque quum ſemel in gymnaſiis viuere adſueti

tota

tota deinceps vita ſua, etiam quando ſibi viuebant, ſuæque ſpontis erant, non poſſent aut vellent à diæta recedere, ſicque continuo opus haberent hominibus, qui talia edocti erant: hinc ſeruos ad id miniſterium inſtitutos comparauerunt, quos ſeruos medicos antiquitas vocabat.

CCV. Atque hæc de inſtituto athletico ſeu gymnaſtico, antiquiſſimo vtique, præmonuiſſe oportuit, antequam de medicina gymnaſtica diceremus. Illa autem exorta eſt temporibus, quæ Hippocratis Coi ætatem exiguo interuallo prægreſſa ſunt, aut potius iam viuente Hippocrate, ſed nondum viriles annos adepto. Erat autem nihil aliud, quam inſtituti athletici, quod non niſi ſanos recteque valentes admittebat, talis contemperatio, vt initio morborum aliquorum correptis, aut ex prægreſſo morbo aliquas reliquias habentibus, conueniret ad progreſſum morbi impediendum, aut eiusdem reliquias a corpore propulſandas, & laudabilem habitum recuperandum.

CCVI. Eius primus auctor & inuentor celebratur PRODICVS, quem & HERODICVM appellari videas. Idem nomen facile potuit in bina abire, deſcribentium vitio, quoniam inter Græca elementa

menta Π & Η exiguum eſt diſcrimen, & quod deſcribentium oculos facile potuit fallere. Patria ipſi fuit Selymbria, vrbs Thraciæ. Videtur autem duas ciuitates habuiſſe: quod apud Græcos minime fuit infrequens. Hinc aliquando perhibetur Leontinus. Ex quo factum eſt, vt aliqui duos, tamquam diuerſos homines, faciant & laudent Prodicos Herodicosue, alterum Selymbrianum, Leontinum alterum. Sed quoniam conſentitur, illius, qui medicinam gymnaſticam inuenit, fratrem fuiſſe GORGIAM: hunc vero Gorgiam graues ſcriptores & coæui, modo Selymbrianum, modo Leontinum appellant: vero eſt ſimillimum, non niſi vnicum fuiſſe virum, qui patriam ſeu ciuitatem apud Selymbrianos in Thracia & apud Leontinos Siculos habuit.

CCVII. Valde celebris vir eſt in antiquorum ſcriptis & monumentis. PLATO compluribus locis eius meminit, tamquam medici & ſophiſtæ, ſed qui inuidioſam artem obtutu rei gymnaſticæ texerit. Quum eſſet corpore imbecilli & morbis inſanabilibus obnoxio, in ſe ipſo primum expertus, quid exercitia valerent ad incrementa morborum impediendа, deinde aliis etiam conſilio adfuit, & ſic medicinam gymnaſticam inuenit. Eius ope ad ſenectutem ipſe perductus eſt

 Dici-

Dicitur Hippocratem inſtituiſſe: ſed e contrario alii ipſum ab Hippocrate dicunt profeciſſe. Sed de hoc diſpiciemus inferius.

CCVIII. Valde gratum fuiſſe hominibus Græcis nouum medicinæ gymnaſticæ inuentum, vel ex eo intelligitur, quoniam omnis natio amore inſano in has exercitationes, a prima ætate, ferebatur. Vnde facile colligimus, medicinam moribus gentis tantopere congruam amatores complures inueniſſe. Certe Hippocratis ſcripta vbique teſtantur, quod ſe ad eandem medendi rationem accommodauerit. Ex quo porro intelligitur, quantopere per hanc nouam medicinam auctum & multiplicatum fuerit illud genus hominum, quod medicina hac gymnaſtica curandorum vſibus in primis inſeruiebat.

CCVIIII. Puto autem illos in gymnaſiis & palæſtris inſtitutos, ſiue liberos, ſiue ſeruos, qui ab eo, quod frictiones maxime & inunctiones callebant ſcienter perficere, iatroaliptæ vocabantur. De his PLINIVS diſerte ſcribit, quod Prodicus Selymbrianus vectigal ipſis inuenerit. Scilicet nunc in omnibus domibus, ſi quis ægrotare inciperet, aut a morbo conualeſceret, opus erat homine, qui curando exercitia præmonſtraret, cum ipſo exerceretur, peracto exercitio, quantum

tum vires cuiusque permittebant, deinde ad apotherapiam neceſſaria adminiſtraret. Admodum ſane vero eſt ſimile, quod ab his reunctoribus ortum ſuum balneatores noſtri traxerint.

CCX Prodico non videtur multum diſſimilis fuiſſe ICCVS Tarentinus, ætate ipſo prior. Veteres de eo ſic loquuntur, vt intelligas, medicum fuiſſe rei athleticæ cetera ſtudioſum, ſed temperantiæ ac ſobrietati deditiſſimum. Plato ipſum Prodico confert & ſophiſtæ titulo itidem honorat. Ceterum cauendum eſt antiquitatum medicarum ſtudioſo, ne de medicina gymnaſtica apud veteres medicos dicta ad gymnaſticam rem omnem protinus applicet. Multa hic regnat homonymia, quæ vbique mater errorum eſt, niſi ſedulo attendas, & in quo diſcrepent, accurato ſtudio requiras.

## CAP. XII.

### DE MEDICINAE EXTRA GRAECIAM STATV *INDE* A TEMPORIBVS ARGONAVTARVM VSQVE AD *HIPPOCRATEM COVM.*

CCXI. Hactenus a Græcis, aut in Græcia geſta, cum medicinæ fatis connexa,

conſiderauimus. Nunc videbimus, quæ inde ab Argonautarum temporibus, vsque ad bellum Peloponneſiacum, quo Hippocrates Cous inclaruit, acciderunt apud Ebræos, Perſas & Aegyptios. Parum, fateor, explorata illa ſunt, & quæ certo facta nouimus, explicationibus parum vero ſimilibus aut aperte nugacibus aſſumentis deformata: ſed perbreuem mentionem eorum facere viſum fuit.

CCXII. In Iudæorum gente hoc temporis interuallo claruit ſapientiſſimus regum SALOMON, Dauidis filius, qui a Deo precibus piis præſtantiſſimum hoc donum conſequutus eſt, vt ſapientia ſuper omnes excelleret. Diſſeruit de plantis maximis ad minimas, deque animalibus. Hoc certum eſt ex diuinarum litterarum teſtimonio. Sed illud incertum, quod volumina de his exarauerit, aut aliis ſcribendi, quæ ex ipſo perceperant, auctor fuerit.

CCXIII. IOSEPHVS contendit, Salomonem proprietates & vires omnium ſimplicium medicinarum recte cognouiſſe: præcipue autem nouiſſe, quid eorum aduerſus dæmonas, noxam hominibus facientes, efficaciter valeat. Compoſuiſſe etiam incantationes, quibus morbi pellantur, & coniurationum formulas ſcriptas reliquiſſe, quibus dæmones ita pellantur,

lantur, vt in poſterum numquam reuerti audeant. Ex hac traditione factum videtur, vt fidem inuenerint ineptiſſimi libelli coniurationum, ex Salomonis venerabili nomine auctoritatem mutuati: quales inter Iudæos, Chriſtianos & Muhammedanos hodieque ambulant & ineptiarum patronis non improbantur.

CCXIIII. Atque idem IOSEPHVS auctor eſt, quod ex Salomonis diſciplina progreſſi aliqui mira patrauerint dæmonibus fugandis, vi radicis Baaras, quæ in valle cognomine, prope arcem Machæruntem, creuerit, terræ ſinui non ſine ſummo vitæ periculo eximendæ. Hæc ſimilia ſunt illis, quæ de radice mandragoræ apud Græcos inueniuntur.

CCXV. Iudæo Joſepho adiicimus doctorem Chriſtianum EVSEBIVM, cui videtur Salomon medicis inſequutis auctor fuiſſe inquirendi, quo gradu quælibet planta calida ſit vel frigida, ſicca vel humida. Ab eodemque occaſionem eos accepiſſe, in animalium vires medicas inquirendi. Aliqui longius progreſſi contenderunt, Salomonem circulationis ſanguinis omnes nouiſſe conditiones, easque aliquo loco aperte deſcripſiſſe. Iudæus quidam recentioris æui contendit, quicquid in Ariſtotelis ſcriptis verum rectumque exſtet, id omne furto ſurreptum

Salomoni fuiſſe. Nam quum Alexander Macedo rerum per orientem potiretur, atque Hieroſolymam etiam cepiſſet, Ariſtoteli tradidit vrbis illius tutelam, qui ex Salomoneis ſcriptis plurima collegit, de ſuo autem nugas & impietates admiſcuit.

CCXVI. Supra laudatus IOSEPHVS auctor eſt, allatam Salomoni regi fuiſſe a regina orientis, ad ipſum profecta, ferulam balſamiferam, quæ deinceps, in hortis huius regis aromaticis, multiplicata magnum regioni fructum decusque attulerit. Hortos autem illos circa Hierichuntem fuiſſe.

CCXVII. Tandem etiam, ne quid deſit, Salomonem chemiæ aurificis gnariſſimum fuiſſe confidentia magna ſcribunt, atque probationis loco allegant diuitias ipſius inſignes, nec templi magnificentiſſimi ſtructura, nec tot aliis ædificiis, exhauriendas. Putant autem, reditus regni ſui, aut Ophiriticas nauigationes, aut multorum annorum parſimoniam, qua pater eius vſus fuerat, ſufficere tantis operibus potuiſſe. Sed in hæc inquirant, quibus ad calculos ſedere datum eſt.

CCXVIII. Laudatur ab aliquibus ſcriptoribus, ſed ſatis recentibus, ſal aliquod ſacerdotale, quod temporibus propheta-

tarum

tarum Eliæ vel Eliſæi Iudæis in vſu fuiſſe dicunt ad affectus catarrhales, viſus imminutionem & ventriculi imbecillitatem: quod eodem loco habendum mihi videtur cum aliis, quæ ad ſanctos, tam veteris, quam noui fœderis, referri partim ſatis abſurde ſolent. Quin immo contendunt aliqui, ex Leuitarum crebris ſacrificiis inuentam fuiſſe artem deſtillandi. Nam quum viderent, expulſos nidores, vbi frigidis corporibus allapſi fuerant, in guttas colligi; curaſſe eos ſomniant fieri magna capitella, ſeu alembicos roſtratos, quos aræ ſuperponerent, ſicque ſpiritum & ſalem volatilem colligerent.

CCXVIIII. Pium regem Ezechiam memorant combuſſiſſe Salomonis libros, quum videret, populum ex illis edoctum, plus confidere herbis, quam diuino auxilio. Iidem de veſtibulo templi Hieroſolymitani ita referunt, tamquam tabulis votiuis repletum fuerit, ab iis, qui ſanati fuerant, ſuſpenſis: quod in aſclepieis factitatum, ſupra (§. 118.) adduximus. Si vero rex Ezechias flammis conſumſit Salomonea ſcripta, eccunde fuerunt illa, quæ Alexandrum accepiſſe, & Ariſtotelem compilaſſe, alii perhibent (§. 214.)?

CCXX. Modo dicto regi propheta Ieſaias applicabat cataplaſma vel emplaſtrum ficatum, quum grauiſſimo mor-

bo decumberet: quod vero reddit ſimile, Iudæorum prophetas & ſacerdotes a medicina facienda non abhorruiſſe.

CCXXI. De rege Aſa relatum in ſacris legimus, quod bene antea actæ vitæ maculam contraxerit, quum, pedum morbo afflictus, medicorum potius, quam dei, auxilium requireret. Credo ipſum, exemplo vicinorum regum, vndique accitos medicos admiſiſſe: in quo deum offendit, quod illo tempore omnes medici ſolebant fictitii cuiusdam numinis præſidio & nomine medicinam exercere, vere idololatricam. Sed & inde confirmamur in ſententia, quod Iudæis non fuerint, vsque ad illud certe tempus, profeſſi medici: ſed quod auxilia morborum a deo per ſacerdotes expetierint.

CCXXII. Curatio ſenis Tobiæ, cui fellis inunctione caligo oculorum depulſa eſt, incidit in tempora etiam illa, de quibus diſpicimus. Ex eodem libro ſuffimentorum vſus comprobatur, inter Iudæos receptus. Neque plura ad medicinam in hac gente pertinentia ſuccurrunt.

CCXXIII. Apud Perſas hac ætate medicos fuiſſe ex Aegypto petitos, deinde etiam Græcos, qui Aegyptios facile ſuperauerunt, ſupra attigimus, vbi Democedem & Cteſiam recenſebamus. (§. 165. & 134.)

Forte

Forte non antiquius exemplum ex Aegypto vocatorum dabitur illo, quo Cambyſes ab Aegypti regibus ocularium medicum ſibi expetebat: quod breui ante id tempus factum eſt, quo Perſæ Aegyptum ſuæ poteſtati ſubiecerunt.

CCXXIIII. Poſt illud autem tempus non ſolum aula optimos medicos habere ſtuduit, verum etiam in vrbibus, & apud exercitum, alebantur: certe Cyri temporibus ita rem habuiſſe, ex XENOPHONTE diſcimus: quo auctore etiam nouimus, quod medicis ampliſſime fauerit laudatiſſimus hic princeps, nihilque omiſerit, quod ad artem amplificandam & illuſtrandam facere poſſet. Huius temporibus cœperunt frugales Perſarum mores labefactari, quum, aucto & longiſſime prolato imperio, cum opibus etiam luxuria ſuccreſceret: vsque adeo, vt poſthæc mollities & luxus Perſarum in prouerbium abiret. Sed & coniunctis, & ſub vnum imperium coaleſcentibus populis, liberiora & ampliora ſunt facta commercia gentium. Præcipue autem Aegyptus, antea fere clauſa exteris, aperta eſt, vnde frequentes illuc Græci commeauerunt: quod medicinæ haud vno modo proficuum fuiſſe facile cognoſcitur.

CCXXV. Fatalis illa Aegypti mutatio,

 qua

qua Perſarum iugo ſubiecta fuit, accidit imperante Amaſi, perfidia medici ocularii, quem rex ſuus ad Cambyſen miſerat. Nam quum is patria ægre careret, Perſis oſtendit, quo pacto ſibi Aegyptum facile poſſent ſubiicere. In pugna, tunc ab vtriusque partis exercitu commiſſa, multi ceciderant, quorum cadauera inhumata computruerant. Viſum deinde fuit Aegyptiorum caluarias eſſe duriſſimas, Perſarum autem admodum molles. Cauſam diuerſitatis omnes tunc reiecerunt in diuerſos populorum mores. Aegyptii enim vertice raſo & nudo incedentes, caput ſoli indurandum relinquebant, quod Perſæ pileis ac tiaris continuo munire ſolebant.

CCXXVI. Eodem tempore Pſammenitus, rex Aegypti, vitam finiit ſanguine taurino epoto. Videtur barbarum inuentum, morti adiudicatos ad talem potum compellere. Sed notabilis eſt euentus, tunc, quantum memini, primum notatus. Nam deinceps inter venena ſollemniter adſcriptum videmus taurinum ſanguinem.

CCXXVII. Aegypti regem, temporibus prope vltimis illius regni, NECHEPSVM quendam legimus, quem eruditi viri putant eum eſſe, qui in ſacris vocatur Pharao Necho. Hunc, cetera

tera laudatiſſimum principem, celebrant ob medicinæ & magiæ impenſum ſtudium. Ex monumentis eius a Galeno noſtro ſubinde aliqua commemorantur: ſed maiori ſtudio excerpta dedit AETIVS, quæ ſane laudabilia ſunt & ab omni ſuperſtitione remota.

CCXXVIII. Hæc inter referri debet remedium ad febres intermittentes propulſandas, ex floribus chamæmeli recentibus contuſis & in trochiſcos redactis, qui, tempore vſus, vel interne dantur, vel oleo diluti ſpinæ dorſi inunguntur. Lapidis Iudaici vſum ad calculos comminuendos externum, in cataplaſmate, docet, cuius loco nos internum vſum, ſed ſine vllo fructu, recepimus. Videtur etiam lapidis Armeniaci vſus vomitorius ab hoc primum eſſe demonſtratus.

CCXXVIIII. Iisdem temporibus in Aegypto vixit PETOSIRIS; qui medicinam cum aſtrologia coniungendam accuratius docuit. Ipſius ſcripta ad Romanos perueniſſe, ſatisque ſuperſtitioſos obſeruatores habuiſſe, ex Iuuenali facile diſcimus. Quam multi tandem Græci ab eo tempore, quo Aegyptus ſub Perſis fuit, eam diſcendi cauſa adierint, ex ſuperioribus ſatis patet.

CCXXX.

CCXXX. Romana vrbs, vsque ad initia belli Peloponneſiaci, quod temporibus Hippocratis Coi, atque fini, quem priori libro præfiximus, congruit, iam tertium ſæculum & quarti bonam partem exegerat, valdeque creuerat deuictis & ſibi adiunctis vicinis in Italia gentibus. Tanto tempore parum conſtat de medicina Romanorum: quin nulla eos vſos fuiſſe aliqui ſcribunt. Neque tamen omni carere potuerunt, quoniam morbis ſæpe fuerunt tam priuatis, quam publicis, correpti.

CCXXXI. Scribit DIONYSIVS HALICARNASSENSIS, quod annis V. C. CCLXXXII. CCCI. vt & CCCXXI. peſtilentia magnas Romæ ſtrages ediderit: quodque vltimo illo ædes Apollini, pro valetudine populi, vota fuerit. Et ſane numus apud me eſt non vulgaris, Aciliæ gentis, cuius alteram paginam Apollo, lyra ſua ſatis certo denotatus, alteram autem VALETVDO dea, columnæ adſtans & draconem manu tenens, exornat. Signauit illum Manius Acilius IIIuir, forte ædium ſacrarum, qui eo memoriam tunc impetrati ab Apolline auxilii renouare voluit. Frequentes ſunt eiusdem gentis numi, cum

cum capite deæ, cui SALVTIS nomen adiectum eſt.

CCXXXII. Pridem etiam cum Romanis tunc iam coaluerant Lanuuini, quorum IVNO SISPITA, quam magnæ reginæ nomine celebrabant, tantopere colebatur, vt ei omnes conſules pro ſalute & incolumitate populi facere deberent. Illam in numis frequentiſſime videmus, draconem magnum adiunctum habentem. Annon ab ipſa, præter reliquam ſoſpitatem, etiam valetudinis integritatem aut reparationem ſperauerint aut experierint, vlterius requirendum fuerit.

CCXXXIII. Nihil ſupereſt, niſi, vt promiſſi memor, ſubiungam laterculum chronologicum, quo inſpecto facile pateat, quo ordine mutuo ſe exceperint & ſubſequuta fuerint, quæ diuerſis capitibus fuere proponenda, vt ſeries geſtarum rerum non potuerit accurate obſeruari. En itaque illum:

TABVLA

# TABVLA CHRONOLOGICA AD CAPVT PRIMVM.

## A MVNDO CONDITO AD HIPPOCRATEM COVM ANNI cIɔ cIɔ cIɔ Iɔ LIIII.

### Tempus fabuloſum indefinitum

Stupendam antiquitatem iactant Aegyptii, Sinenſes & Malabares religionis ſuæ ipſique innexæ medicinæ. Ad plures annorum myriades ſupra mundi initia adſcendunt. Sed inficetas illas nugas mittimus. In tabula autem hac DIONYSIVM PETAVIVM vbique ſequimur.

| Ante Chriſtum natum. | | |
|---|---|---|
| 3984. | Mundus creatur. | |
| 3983. | I. | Annus creati mundi. |
| | | Medicina cum variis artibus inuenitur. |

Adam

| Ante Chriſtum nat. | An. mundi. | |
|---|---|---|
| 3054. | 930. | Adam primus homo, primusque medicus, moritur. |
| 2942. | 1042. | Seth moritur. |
| 2329. | 1655. | Diluuium vniuerſale. |
| | | Chami poſteritas in Aegypto medicinam excitat & propagat. |
| 1769. | 2215. | Joſephus patriarcha in Aegyptum venit. |
| 1575. | 2409. | Circa hoc tempus putatur Iobus deceſſiſſe. |
| 1531. | 2453. | Jſraelitæ Moſis ductu ex Aegypto proficiſcuntur. |
| 1263. | 2721. | Argonautarum expeditio. Hanc præceſſerunt |
| | | Melampus, vt & Chiron Centaurus. |
| | | Interfuerunt Hercules, Aeſculapius, Medea, Circe. |
| 1247. | 2737. | Aeſculapii & Herculis religio cœpit. |
| 1004. | 2980. | Salomon rex Iudæor. |

Aſa

| AnteChri-ſtum nat. | An. mun-di. | | |
|---|---|---|---|
| 916. | 3068. | Aſa rex Iudæ. | |
| 776. | 3208. | Olympias prima. | |
| 754. | 3230. | VI. 3. | Roma conditur. |
| 753. | 3231. | VI. 4. | I. |
| 690. | 3295. | XXII. 3. | 64. |
| 616. | 3368. | XLI. I. | 138. |
| 525. | 3459. | LXIII. 4. | 229. |
| 522. | 3462. | LXIIII. 3. | 232. |
| 505. | 3479. | LXVIII. 4. | 249. |
| 500. | 3484. | LXX. | 254. |
| 472. | 3517. | LXXXVII. | 283. |
| 460. | 3524. | LXXX. | 295. |
| 433. | 3551. | LXXXVI. 3 | 321. |
| 430. | 3554. | LXXXVII. 3. | 314. |

ab vrbe condita.

Tobiæ cæcitas diſpellitur.

Nechepſus in Aegypto regnat.

Perſæ Aegyptum occupant.

Democedes Crotonienſis floret.

Cinnabaris inuenta.

Pythagoras moritur.

Florent Alcmæon & Empedocles, anatomes cultores.

Iccus Tarentinus floruit.

Hippocrates naſcitur.

Heraclitus & Democritus florent.

Romani peſtilentia preſſi Apollini ædem vouent.

Initium belli Peloponneſiaci; cuius temporibus Hippocrates Cous floruit.

Eodem tempore florent Plato & Prodicus.

# LIBER SECVNDVS
DE
HIPPOCRATE COO ET MEDICINAE FATIS VSQVE AD GALENVM.

## CAPVT PRIMVM.
### DE HIPPOCRATIS COI VITA SCRIPTIS AC DOCTRINIS.

CCXXXIIII. Vixit Hippocrates feliciſsimis illis temporibus, quibus Græcorum ingenia ſe cum maxime exſerebant, & admirabilia illa monumenta condebant, quæ inde ad noſtram vsque ætatem durant, ſuorumque auctorum nomina æternitati porro videntur commendatura. Sed hiſtoria vitæ ac fatorum eius valde eſt manca & dubitationibus obnoxia: quod ipſe raro ad ſe pertinentium meminit; qui autem cum ipſo vixerunt, & nomen cum laude commemorarunt, ad vitæ eius ſeriem aliquam contexendam apta omiſerunt. Recentiores aliqui Græculi de vita eius commentati ſunt, ſed ab ætate eius, vt qui minimum, ſexcentis annis remoti, & non optimis ſubſidiis inſtructi. Maxime turbarunt hic ſophiſtæ, qui, gratia exercendi ſtilum, ſolebant magnis viris affingere orationes & epiſtolas, tamquam ab ipſis ſcriptas,

ptas, quum res & tempora efflagitarent. In quibus, quum fingendi magna libertas eſſet, vt oratoriæ artis exercitium amplius redderetur, ſibi quidem poterant absque vitio indulgere. Verum quum talia poſthæc inciderent in manus eorum, qui conſilii ignari erant, & pro veris arriperentur: factum eſt, vt incerta ac turbata hinc redderetur hiſtoria.

CCXXXV. Id vero Hippocrati vel maxime accidit, ad cuius volumina ſubiiciuntur varia iſtiusmodi, quæ ſatis antiqua, & forte iam Catonis æuo lecta eſſe, facile concedimus: ſed ita comparata ſunt, vt vix legi attente poſſint, quin fucus aperte cognoſcatur. Quod præmonendum exiſtimaui, vt me illis excuſem, qui forte aliqua, ex ſpuriis iſtis ſcriptis laudari ſolita, hic non adduci mirabuntur. Cumque volumina etiam reliqua non vnius auctoris eſſe, apertiſſimum, ac pridem a doctiſſimis viris oſtenſum ſit: apparet, quam difficile ſit, etiam in doctrinis viri recenſendis ita verſari, vt ſuum cuique tribuatur.

CCXXXVI. Natum fuiſſe eum anno primo olympiadis LXXX. creditur Sorani fide. Patriam fuiſſe Con inſulam, inprimis claram ac validam & Aeſculapio dicatam, a nemine dubitatur. Genus fuit Aſclepiadarum a patre, a matre Heraclidarum. Qui Theſſalum vocant Hippocratem, id vi-

dentur reſpicere, quod ſedem fortunarum in Theſſalia poſuit, ibique maiorem vitæ partem peregit ac diem ſupremum obiit.

CCXXXVII. Ad medicinam, more Aſclepiadarum, puer a patre Heraclide inſtitutus fuit. Dicitur quoque multum profeciſſe ex tabulis votiuis, in templo ſiue Coo ſiue Cnidio ſuſpenſis, quas deſcripſerit, crematoque deinde templo pro ſuis exhibuerit & clinicen inſtituerit, vt Varro apud Romanos credidit. Etiam Herodico Selymbrienſi & Democrito philoſopho multum debuiſſe dicitur: ſed nemo certum dixerit, quo tempore aut modo ab illis profecerit. De Herodico vix dubitandum eſt, quin ab illo profecerit: quia multa ex gymnaſtica medicina recepit & in ſua ſcripta retulit. Quum vero ille Herodicus, ſiue Prodicus, Athenis maxime vixerit: vero ſit ſimile, Hippocratem etiam aliquando in illa vrbe tunc florentiſſima fuiſſe verſatum. Ibidemque forte tunc iuuenis operam dedit Gorgiæ, rhetori clariſſimo, Prodici fratri, quem præceptoribus Hippocratis plerique adſcribunt. Sed forte Gorgiæ in Theſſalia, vbi vterque conſenuit, operam dedit.

CCXXXVIII. A Democrito quomodo aut quando profectum ceperit, magis obſcurum eſt. Si verum eſt, quod tamen minime mihi videtur, quod ad inſaniam eius cu-

curandam a ſenatu populoque Abderitano accitus fuerit; præſens autem virum quam maxime ſapientem deprehenderit: fructum aliquem ex amica conſuetudine potuit percipere. Forte etiam ſcriptis viri adiutus fuit. Sed plura in Hippocrate veſtigia doctrinæ Heraclitеæ, quam Democriteæ, a doctis viris pridem notata ſunt.

CCXXVIIII. Ad hæc medicorum & philoſophorum ſcripta, quæ tunc iam multa exſtabant, videtur ſedulo euoluiſſe: nam vbique intelligitur ingenium ipſi fuiſſe ad omnia perquirenda tam indefeſſum, quam ad diiudicanda perſpicax: videturque Galeno noſtro non minus in philoſophia, quam medicina, ad ſummum progreſſus fuiſſe: vsque adeo, vt Ariſtotelis ſcripta non niſi commentarios in philoſophiam Hippocratis exiſtimare debeamus.

CCXXX. Hippocratem patria ſua mature exceſſiſſe, multumque peregrinatum in Theſſalia tandem conſediſſe, conſtans eſt traditio. Videntur ipſum impuliſſe exempla complurium medicorum, qui, per vrbes medicinam ſuis auſpiciis factitantes, & ægrotantium lectulos adeuntes, haud parum gratiæ & opum conſequuti fuerant. Quumque magnarum rerum fiduciam haberet, Aſclepiadarum autem res indies in deterius abire ſentiret: con-

ſilium ſibi vtile & glorioſum cepiſſe. Qui cauſam cum crimine & infami ſacrilegio coniunctam effutiuerunt, nec inter ſe, indicando illo, conueniunt, nec vero ſimile crimen afferunt. Nam ſi violato templo aut concremato fugiſſet, nullibi certe in omni Græcia perfugium ſatis tutum inuenire potuiſſet. Sunt iſtiusmodi commenta ſero demum a malignis hominibus excogitata, qui eos, a quorum ſententiis diſſidebant, maledictis etiam onerare ac laceſſere, ſectariorum nimis vulgari vitio, licitum ſuæque ſectæ proficuum ducebant.

CCXXXXI. Multum iactatur beneficium, quod Athenienſibus hac peregrinatione tribuit, vrbem ipſorum a grauiſſima peſtilentia liberando: idque aliqui præſentem effeciſſe aiunt, alii per diſcipulos. Et Athenienſes quidem tunc peſtilentia ſæuiſſima fuiſſe vexatos domi, quum foris obſidione Peloponneſiorum premerentur, omnino eſt indubium: ſed vel Hippocratem, vel eius diſcipulos quicquam vrbi profuiſſe, nemo veterum teſtatur. THVCYDIDES, qui tunc in vrbe fuit, & ipſe morbum expertus eſt in ſuo corpore, medicos aut medicinam vllam aduerſus morbum quicquam valuiſſe rotunde negat: nullam humanam rationem aut artem ad malum minuendum effi-

efficax fuiſſe aperte aſſerit. Et, qui factum fuiſſet, vt tot aliis tribueretur beneficium liberatæ vrbis, ſi de Hippocrate tam certa & teſtata res fuiſſet, vt in ſpuriis illis documentis, Hippocrateis operibus ſubiungi ſolitis, legitur & magnifice prædicatur.

CCXXXXII. Sponte igitur cadit, quicquid in iisdem de honoribus, Hippocrati propter hoc beneficium a populo Athenienſi decretis, legitur. Vt & oratio Theſſali, Hippocratis filii, inde maxime cognoſcitur ſpuria, quod Hippocrates tunc XXXI. annos natus, non potuit habere duos filios praxi medicæ exercendæ idoneos, & filiam, quam genero elocaret. Cadit quoque fides omnis ſuperbæ epiſtolæ, qua Artaxerxi, operam ſuam expetenti, eam omnino negauit. Nam quum ſupponat illa meritum in Athenas præclariſſimum; quod inter maxime dubia referendum puto; alterum haud facile conciliandum accedit, quod a Cois mittendus expetitur, a quorum vrbe pridem vel diſceſſerat, vel fuga ſe proripuerat.

CCXXXXIII. Tota narratio de itinere ad Abderitanos ſuſcepto, vt Democrito ſalutem redderet, eſt ſine dubio conficta. Nemini in antiquis monumentis verſato ignotum eſſe poteſt, quam multæ ſint fabulæ,

bulæ, quibus Abderitanorum ſtulta & ridicula facta exagitantur: quas omnes eodem loco habendas puto, quo prudentes referunt tralatitias narratiunculas de quibusdam patriæ noſtræ vrbibus, quibus per prauam libidinem affinguntur ridicula facta, nulla forte culpa ſua, aut vicinorum prærogatiua ſapientiæ.

CCXXXXIIII. De anno, quo ex vita diſceſſerit, non conſentitur. Qui pauciſſimos vitæ annos ipſi tribuunt, olympiade CI. mortuum ſcribunt: qui plurimos, olympiade CVIII. mortalibus exemtum tradunt Lariſſæ in Theſſalia. Nihil itaque ſupereſt firmum & inconcuſſum, quam quod temporibus belli Peloponneſiaci vixerit aliquis Hippocrates Cous, & de medicina libros, dialecto Ionica, ſcripſerit, quibus, omnium ſæculorum conſentienti teſtimonio, meritus eſt, vt medicorum parens ac princeps ſalutetur.

CCXXXXV. Atque vtinam libros, quos tantus vir exarauit, & omnes & integros acceperimus: neque voluminibus eius intermixta eſſent varia, vni eidemque Hippocrati Coo tributa. Sed iam pridem fuit magna & multa diſſenſio de ſcriptis eius, quæ effecit, vt olim, hodieque multum certetur de genuinis certo cognoſcendis, ac a ſpuriis vel ſaltem dubiis

biis rite ſeiungendis. Inter recentioris æui viros conſuli debet HIERONYMVS MERCVRIALIS, qui cenſuram librorum Hippocraticorum egit, & in ſuas claſſes redegit, quos genuinos; quos ab ipſo incoatos, ſed non elaboratos, deinde autem per alium editos ac interpolatos; quos a filiis vel diſcipulis ſecundum eius doctrinas ſcriptos; tandemque quos ab Hippocratica eruditione alienos & aperte ſpurios iudicare debeamus.

CCXXXVI. Tantum autem abeſt, vt vir cetera doctiſſimus omnium iudicio cenſura ſua ſatisfecerit, vt potius complures longe ab ipſo diſcedant & ſeorſim ſentire ſe profiteantur, haud infirmis ſemper rationibus. Perplacet hic maxime iudicium DANIELIS CLERICI, quod maxime ſuſpecti eſſe debeant libri, quæ plurimum ratiocinii continent. Non enim ſolum antiquiſſima quæque ſimplicitate, & potius experientiæ robore quam ratiociniorum fuco, cognoſcuntur; verum etiam Hippocrati ſeorſim illud tribuitur, tamquam præcipuus character, quod medicinam a philoſophia ſeiunxerit.

CCXXXVII. Clariſſima certe ſunt eius verba, quibus philoſophos aperte impugnat: non cenſeo medicinam vana ſuppoſitione egere, velut obſcura & im-

peruestigabilia, de quibus, ſi quis dicere conetur, neceſſe eſt, aliquam hypotheſin aſſumere. Ne vero dubitemus, quorſum hæc dicta valeant, aperte ſermonem dirigit ad eos, qui nouo quodam more artem medicam, ex ſuppoſitis qualitatibus primis, calido, frigido, ſicco aut humido deducunt. Hoc vero eſſe philoſophi Empedoclis inuentum, puto inter omnes conſtare. Idem deinde genus medicinam tractandi, vt eam a priori, vt loqui ſolemus, tradere cuperent, in partem potiſſimum illam, quæ morbos victu curat, ſeu diæteticam, quæque antiquiſſima eſt in medicina clinica, plures receperunt, ſicque artem loquacem & diſputatricem reddiderunt.

CCXXXVIII. Hippocrates itaque ſentiens, quam parum hæc philoſophia, a primis qualitatibus ducta, medicinam iuuet: præſcidit omnem illam diſputationem, quam non magis medicinæ, quam pictoriæ arti, conuenire profitebatur. Propterea autem non repudiabat rationes: ſed petendas volebat ex ipſo homine: vt ſe quisque ad oblata quæque haberet. Verbo dicam, cauſas propinquas, obſeruatione ſedula cognoſcendas & indagandas, laudabat: omnem autem ſpeculationem longius excurrentem inutilem

lem declarabat, & ad ſophiſtas amandabat.

CCXXXXVIIII. Atque ſi hunc Hippocratis characterem, a Cornelio Celſo probe expreſſum, memori mente tenuerimus, facile etiam quosdam libros Hippocrati reſtituemus, & pro maxime genuinis habebimus, quos, Galeno nimis cum omni ſuo ſæculo addictus MERCVRIALIS, vir cetera meritiſſimus & elegantiſſimus, ipſi abiudicauit: quos inter refero illum de arte vetere, quo maxime aduerſus philoſopho-medicos ſui temporis diſputat.

CCL. Sed a libris Hippocratis, ad liberos progredimur: de quibus dabo ab Galeno bona fide accepta. Erant ipſi duo filii, THESSALVS & DRACO, quorum vterque filium reliquit Hippocratis nomine, ſcilicet ab auo, denominatum. Theſſalo teſtimonium tribuit laudatus Galenus, quod nihil paternorum dogmatum immutauerit aut ſuſtulerit; quodque Archelao, Macedonum regi, operam ſuam addixerit. Filius ipſi tribuitur aliquis Gorgias, præter Hippocratem auo ſuo cognominem. Draconis filium Hippocratem, Roxanes, quæ Alexandri M. coniux fuit, medicum fuiſſe factum perhibent: ſed alii huius filium, qui Draco dictus fuerit, nominant. Certe non conſen-

ſentiunt veteres, qui non pauciores ſeptem recenſent medicos, quibus Hippocratis nomen fuit, quique librorum fuerunt auctores. Quis hodie nobis index erit, quo edocti ſuum cuique in herciſcunda librorum Hippocraticorum hereditate tribuamus? præſertim quum aliquis etiam Gnoſidici filius Hippocrates, Coi noſtri auus, laudetur, aliquorum, qui in volumine Hippocraticorum exſtant, librorum auctor.

CCLI. Familiam Hippocratis præcipue ornat gener ipſius POLYBVS, natione Cous, quem Galenus diſcipulum eius & in ſchola Coa ſucceſſorem laudat, qui nihil ex dogmatibus eius mutauerit, ceterа autem vir in artis operibus verſatiſſimus fuerit, lautis quidem conditionibus ſubinde euocatus, ſed a patria nullo pacto auellendus.

CCLII. His itaque filiis, & genero, Hippocrates ſua ſcripta reliquiſſe creditur. Et ab iisdem aliqua affecta magis fuiſſe elaborata, & eius nomine publicata, vero eſt ſimile. Sed & ipſorum eorum propria ſcripta ſub nomine clariſſimo Hippocratis prodiiſſe & Hippocraticis, abſque ſollicita diſtinctione, iuncta fuiſſe, relatum legimus. Quæ res, notante Galeno, tunc maxime accidit, quum Alexandriæ & Pergami reges bibliotheca-

rum

rum colligendarum æmulatione incenderentur, magnoque pretio colligerent, quicquid librorum offerretur. Hinc factum eſſe, vt falſo nomine præſcripta complura, ab incautis præfectis, coemerentur & in forulos reponerentur. Neque ſolum falſa fuiſſe exhibita, ſed genuinos etiam libros, quo carius venderentur, aſſumentis fuiſſe extenſos, & interpolationes plures accepiſſe.

CCLIII. Noſtro itaque æuo nemo poterit certo indicio probare, quid antiqui Hippocratis Coi, quid cognominum ſit, quid Polybo vere debeatur. Hoc certum, non diffitentibus veteribus, maiorem Hippocraticorum voluminum, quæ hodie teruntur, partem, incerto patre vagari. Et quamquam Galenus de Polybo aliquando contendit, quod nihil ex ſoceri dogmatibus mutauerit: ipſius tamen Galeni accuſatione ſubinde reus agitur ſententiarum, quæ cum genuinis Hippocrateis conciliari nequeunt.

CCLIIII. Ceterum Hippocratis filii frequenter impudentiæ, & inſulſorum prauorumque morum, rei aguntur a comicis, & qui ab illis iacta ſcommata repetierunt. Enimuero illa exprobratio non eſt primum excogitata in Hippocratis Coi, medici, filios, ſed longe eſt antiquior, feritque in primis illius Hippocratis Atheni-

enſis,

enſis, qui Piſiſtrati pater fuit, familiam, hosque inter ipſum Piſiſtratum ob tyrannidem affectatam & acquiſitam famoſum: cuius filios Alcmæonidas, piaculari crimine pollutos, cum ſua progenie, diu poſt exagitauerunt. Quam rem ex politica Græcorum hiſtoria repetere hic locus non patitur.

CCLV. Neque tamen omnino negauerim, poſterioribus temporibus aliquos, aut ignorantes, aut ignorare ſe ſimulantes, in medicos iactaſſe hoc dicterium, quibus τὴν ὑωδίαν, quaſi ſuilitatem dicas, obiecerunt; tamquam reprehenſione digni eſſent, qui illam verborum honeſtatem, cui omnes merito in conuerſando cum aliis ſtudent, non poſſunt vbique obſeruare, quando de partibus humani corporis, eorumque officiis aut morbis differunt: interque diſſecandum, vel in curationibus etiam, eas conſiderare, contrectareque debent.

CCLVI. Quæ plura de medicorum principe ac parente dicenda ſunt, per ſingularia capita diducemus, vt clarius pateat, qualis & quanta Hippocratici ſæculi medicina fuerit. Nunc, quoniam vix commodior alius obtinget locus, paucula attingemus de illis, qui apud medicos Aſclepiadarum ſcholas egreſſos, & artem ſuis auſpiciis exercentes, edocebantur. De

his

his PLATO nos binis locis certiores reddit, quod tunc mos fuerit cum claro profeſſore paciſci de mercede ſeu didactro. Id obtinuiſſe vsque ad Galeni ætatem intelligimus. Per iſtos diſcipulos, recte iam inſtitutos, apud ægrotos plurima peragebant. Meminit miniſterii ipſorum Hippocrates pluribus locis, vocatque ὑπουργίην, ipſosque adminiſtros, ὑπουργοὺς.

CCLVII. Qui liberos homines, quos edocerent ac miniſterio eorum vterentur, non habebant, aut non ſatis multos, pro multitudine ægrotantium, inueniebant; ſeruulos inſtituebant ad aliquam artis partem, quibus perpetuo vti, magno ſuo commodo, poterant, &, ſi non viderentur amplius commodi aut neceſſarii, vendere illos vel ipſi, vel heredes ſui poterant magno pretio. Galeni tempore fuiſſe Romæ medicos, qui ſeruos, a dominis accepta mercede, ad medicinam inſtituebant, eoque ſeruorum medicorum familiam immenſum augebant, inferius recurret commemorandi occaſio. Id ſi parcius apud Græcos factum tunc fuit, inauditum tamen Hippocratis temporibus non fuiſſe, ex Platone diſcimus, qui medicinam exerceri ab liberis & ſeruis diſerte commemorat.

CCLVIII. Quod tandem ad Hippocratis mores attinet, magnam certe & egregiam

giam indolem omnia produnt. Nullibi iactabundum ſemel aut arrogantius extollentem videas. Nullibi ſua inuenta oſtentat. More magnorum virorum, magnarumque rerum fiduciam habentium, non grauatur profiteri, ſicubi errauit. Quin immo auream regulam reliquit, qua metiamur bonum medicum. Vehementer enim laudandum illum declarat, qui quam minimum aberrauerit. Neminem eſſe adeo perfectum, qui non ſubinde erret & deficiat. Ex hac mente, ab arrogantia tam longe remota, factum eſt, vt in ſuis commentariis plura a morbis popularibus abreptorum, quam ſanatorum, exempla poſuerit. Non debebat hoc fraudi eſſe optimo viro, apud illuſtrem Britannum, qui confeſſus eſt, non parum Hippocratis auctoritati penes ſe deceſſiſſe, quum tam crebro legeret illud epiphonema; mortuus eſt. Sed hunc comiter correxit alius eiusdem nationis non mediocris medicus, qui non iactantes illos obſeruatores, qui omnes, quos curauerunt, ſanitati reſtitutos gloriantur, ſe probare ait, ſed qui errores, & infortunia, aut artis impotentiam minime abſcondunt, verum potius, in gratiam poſt ſe venturorum eadem diligentia notant, qua ingenui nautæ ſcopulos in oceano, ad quos impegerunt & naufragium fecerunt, deſignant, vt alii periculum diſcant effugere. Cap.

# CAP. II.
## DE
## HIPPOCRATIS COI PHYSIOLOGIA.

CCLVIIII. Qui de natura humana aliquid ſolidum proferre cupit, ex ſtructura corporis accurate cognita plurimum depromere debere, puto neminem dubitare poſſe. Quare videndum ante omnia erit, quam probe in anatome verſatus Hippocrates fuerit: & an ſecure credi perhiberique poſſit, quod hominum corpora diſſecuerit.

CCLX. Vellem vtique contigiſſe mihi, vt liceret inſpicere XXVIIII. diſſertationes illas, quibus clariſſimus medicus IO. ANTONIDES VAN DER LINDEN, vt ALMELOVENIVS teſtatur, publice comprobatum fuit, quod Hippocrati circulatio ſanguinis probe cognita fuerit. Hoc duce & doctore deſtitutus, per me non valui in monumentis Hippocraticis inuenire, quod me conuinceret, Coo noſtro tantam theoriæ medicæ perfectionem obtigiſſe. Nam quod περίοδον ceu circuitum ſanguinis prodidit, non ſufficit vtique, niſi & illud clarum fiat, quod ſanguis a corde per arterias expulſus in venas penetret, perque illas ad cor redeat, in arterias mox iterum pellendus & corpori diſtribuendus.

CCLXI. Moueri ſanguinem per venas,

 ſed

ſed euripi in morem, veteres vtique credebant: ſed in arteriis ſanguinem eſſe, omnino diu etiam poſt Hippocratem negabatur. Scilicet arteria, quaſi ἀεροτηρία, aeris receptaculum, inſpirato aere turgere exiſtimabatur. Niti autem aerem, qui arteriam impleuit, loco ſuo expellere ſanguinem; verum hic, vbi ad certum locum ceſſit impellenti aeri, deinde reſurgit vi ſua & retropellit aerem tantundem, quantum ipſi antea ceſſerat. Atque ex hoc quaſi libramento aeris & ſanguinis, motum ſanguinis fieri concipiebant; quod dogma nemo clarius, vt equidem exiſtimo, explicauit Platone, ex quo alio tempore fuſius illud declaraui.

CCLXII. Quæ vrgeri ſolent, quod arterias a corde deduci, & venarum truncos ad cor maximos eſſe docuerit, quod denique valuularum ad cor locatarum notitiam habuerit: ea omnia ſunt huiusmodi, vt per complura ſæcula hæc eadem nouerint ac docuerint viri circulum humorum omnino ignorantes, vel ſemel declaratum acriter oppugnantes. Ne dicam, quod illum libellum, ex quo valuulas oſtendunt, indubie ſpuriis omnes accenſeant.

CCLXIII. Et ſi nouit docuitque Hippocrates circulum ſanguinis, vix concipi poteſt, qui fieri potuerit, vt aperte falſa

do-

doctrina de quatuor venarum paribus, a capite ad vniuerſum corpus demiſſis, in Hippocrateis monumentis ter legeretur olim, hodieque binis locis ταυτολόγως exſtet. Si a Polybo illud profectum dogma Ariſtoteli aſſerenti & benigne excuſanti credimus: mirum tamen videri debet, cur maxime genuinus Hippocratis diſcipulus tam inſigniter errauerit, curque poſt multa ſæcula fuerint, qui ſe tunc maxime dignos Hippocrate magiſtro diſcipulos crederent, ſi hoc dogma maſcule tuerentur.

CCLXIIII. Veſiculas ſeminales, velut fauos ab vtraque veſicæ parte diſpoſitos legenti, indubium videri poſſet, quod Hippocrates humana corpora ſecuerit. Sed eliditur vis teſtimonii a Galeno, qui libellum de venis, in quo id legitur, manifeſte ſpuriis accenſendum docet. Spinæ dorſi viginti oſſa numerari, libro de oſſium natura legitur: ſed in calce illius rectior doctrina ponitur: vnde ſuſpicio eſt, additamentum hoc eſſe recentioris auctoris, qui corrigere voluit, quæ in libello dubiæ auctoritatis antea legerat.

CCLXV. Ceterum Hippocrates grauiter vrget, principium in medicina addiſcenda eſſe debere cognitionem naturæ. Naturam vero dicit conformationem & conſtitutionem corporis, quoad ſingulas

partes ſuas: deinde vero eius ad ſingula oblata habitudinem. Tribuit etiam naturis, quod ſint morborum medicatrices, quodque a nemine edoctæ faciant, quæ ad corporis ſalutem conſeruandam & in ſaluo ponendam pertinent.

CCLXVI. Videas fere vnumquemque hanc adſertionem in ſuas partes trahentem. Mihi vero, non obiter in hanc rem inquirenti, videntur multa deſiderari, antequam clare aliquis de vera Hippocratis mente pronunciare poſſit. Et, vt verum fatear, vix pronunciari de hac quæſtione poteſt, antequam certum fiat, quænam ſint genuina Hippocratis Coi, qui circa Peloponneſiaca tempora fuit, ſcripta. Qui tam diligentes ſunt in probando, quod Hippocratis natura & anima hominis rationalis idem ſint, forte non vident, quantum ſit periculum, ſi quis ſe ſocium ipſi in hac ſententia profiteatur.

CCLXVII. Sed ad ſingularia progredimur. De ſemine virili docet, pro eo conſtituendo ab omnibus partibus aliquid ſecerni, & ad medullam ſpinalem confluere: hinc ad renes per venas defluere ac per neruos, traiectis teſtibus, ad membrum genitale confluere. Feminis autem, non minus quam viris, ſemen tribuit, quod emittant. Id, ſi cum virili mixtum in matrice detineatur, conceptionem

nem fieri: ſi effluxerit, irritum eſſe coitum. In vtroque coniuge eſſe genituram maſculinam & femininam. Si vterque fortius ſemen emittat, concipi maſculum, ſi debilius, feminam.

CCLXVIII. Vtramque genituram, vtero retentam, ibi miſceri & craſſam per calorem fieri docuit: deinde ſpiritum recipere, vtpote in calido exiſtentem, & matre reſpirante. Vbi vero ſpiritu repleta eſt, viam hic ipſe ſibi parat, & per mediam genituram erumpit: per illam autem viam foras patentem rurſus alius frigidus, a matre inſpiratus, ſubit. Sic itaque per vices calidus ſpiritus emittitur frigidusque accedit; atque inde nutritur conceptus fœtus. Sic a ſpiritu inflata genitura & extenſa pelliculam acquirit, quæ a calore induratur, perinde ac panis inflatus & caleſcens eleuatur & cruſtam contrahit.

CCLXVIIII. Didiciſſe ſe hoc dicit, quum inſpiceret genituram feminæ ſaltatricis, quæ ante ſex dies conceperat, vtero eliſam. Ex quo graues auctores clare demonſtrari exiſtimant, quod Hippocrates conceptionem ex ouo muliebri cognouerit. Eſtque notabile, quod ad experimenta in ouis, a gallina incubatis, porro capienda diſerte prouocat.

CCLXX. Concepto fœtu intra pellicu-

lam primam plures, eodem modo, tenues, ab vmbilico protenſas, & inter ſe mutuo deligatas, fieri. Deinde ex ſanguine, qui a matre deſcendit, atque congelatur, carnem fieri, iuxta medium vmbilicum, per quem ſpirat ac alimentum capit. Progreſſu temporis illa caro articulatur a ſpiritu, quo mouente abit vnumquodque ſimile ad ſimile, iuxta cognationem ad id, a quo genitum eſt: denſum ad denſum, humidum ad humidum, rarum ad rarum. Nam inflata diſparantur omnia, iuxta cognationem. Declarat hoc experimento veſicæ, cui fiſtula alligata ſit, per quam immitti poſſit aqua, terra, arena & plumbi tenuia ramenta. Iam ſi in hanc veſicam inſles, permiſcebuntur omnia, ſed mox abibunt ſingula in ſuum locum: plumbum ad plumbum, arena ad arenam, terra ad terram.

CCLXXI. Non hic ſolum aerem, quatenus inſpiratur, articulationem facere, ſed in quantum eſt ignis & aquæ vehiculum, & cum ipſo anima ſenſim irrepit & in corpore augeſcit, ex aliis locis intelligendum eſt.

CCLXXII. Si puella concepta eſt, illa coarticulatio & coagmentatio incipit, vt longiſſime, poſt quadrageſimum ſecundo a conceptione die; in maſculo autem,

tem, vt longiſſime, trigeſimo: ſcilicet pro eo, ac ſinguli concepti fœtus ignem & alimentum fuerint nacti. Et pro eo etiam, vt femina vel filium vel filiam enixa fuit, purgationem a partu citius aut tardius perfici.

CCLXXIII. Fœtum, decem menſibus in vtero exactis, exitum quærere docet, quoniam nutrimenti defectum ſentire incipit: hinc calcitrat & membranas perrumpit, vt pulli volatilium teſtas ouorum diffringunt. Exigere autem fœtum, vt vitalis ſit, & legitimo tempore naſcatur, periodum XXXX. dierum ſepties transactam. Sed & tolerabilem eſſe partum, qui ſex menſibus lunaribus & dimidio exactis contingit: eorumque aliquos tunc in lucem editos ſuperuiuere. Quod ſi vero fœtus menſe ſeptimo exitum quærat, neque tamen inueniat, quoniam nondum ſatis virium ad membranas perrumpendas accepit; delaſſatum illum & morbidum quiete per XXXX dies indigere. Quod ſi tamen iterato conatu prodeat menſe octauo, ob debilitatem illum non poſſe ſuperuiuere. Quin optimum eſſe, ſi nec nono menſe prodeat, ſed decem lunares completos exſpectet. Atque hoc Hippocratis placitum, poſtquam in ius ciuile Romanorum receptum eſt, infinitis conten-

tionibus de partu octimeſtri materiam ſubminiſtrauit.

CCLXXIIII. Refertur ad Hippocratem; quamquam in ſcriptis hodie ſuperſtitibus nihil legitur, quod in iudicio de muliere adulterii accuſata, quia prolem parenti vtrique diſſimilem ediderat, ſententiam rogatus, conſilium dederit, requirendum eſſe, annon in cubiculo feminæ pictura aliqua fuerit, cui nata proles ſit ſimilis. Cum eam inueniſſent, abſolutam fuiſſe feminam. En medicinæ forenſis ſpecimen forte antiquiſſimum: ſed vnus HIERONYMVS ad Hippocratem reſponſum refert. GALENVS, qui eiusdem meminit, antiquam hiſtoriam dicit, ſed de Hippocrate ſilet.

CCLXXV. Ceterum phyſiologica multa apud Hippocratem obſcuriora nobis eſſe debent, quia ex multis clarum eſt, quod terminos, quibus hodierna ſchola diſtinctas notiones tribuit, ſubinde admodum late adhibuerit. Tales ſunt νεῦρον, φλέψ, αἷμα. Inuenias enim neruum promiſcue dici pro neruo proprie apud nos dicto, pro ligamento, pro tendine: venæ nomen tribui cuicunque ductui, aliquem humorem deferenti, ſiue ſit arteria, ſiue vena, ſiue ductus excretorius. Sic in ſermone de glandulis dicit, quod habeant multas venas, ex quibus diſciſſis fiat

αἱμοῤῥαγίη λάβρος, copioſa hæmorrhagia. Sed ne ſanguinis effluxum intelligamus, efficit adiectum, quod ſit effluens illud οἷον φλέγμα, pituitæ ſimile, ſeu aquoſum. Ex quo colligas, ipſum incidiſſe ductum excretorium, forte pancreatis, aut glandulæ cuiusdam ſaliualis, indeque effluxum annotaſſe obſcurioribus verbis.

CCLXXVI. Inter obſcuras notiones etiam vagantur ſpiritus Hippocrati frequenter memorati. Certe illa notione, qua pro fluido herueo hodie accipiuntur, ille non adhibuit vocabulum, ſed denotare hoc nomine videtur aeream quandam ſubſtantiam, reſpirando in corpus attractam, eiusque omnem ſubſtantiam intime ſubeuntem, ipſique ſe perm ſ entem. Multa ipſi tam in ſanitatis negotio, quam morborum cauſis adſignandis, tribuit. Præcipue liber de flatibus, ſi modo Hippocrates vmquam illum vidit, multus immo totus eſt in ſpiritibus. Sed non iniuſte ſuſpiceris, parentem eius verum eſſe aliquem ex ſchola pneumaticorum, de quibus ſuo loco diſpiciendum erit.

CCLXXVII. Quando declarandum ſuſcipit, qui fiat, vt ab vno coitu gemelli concipiantur, inter alia adducit vteri frequentes & curuos ſinus, alios remotiores a pudendo, alios propinquiores, eosque a ſe inuicem ſeparatos. Quod ſi itaque

genitura in duos ſinus recipiatur, ibique detineatur & pellicula obducatur, binos geſtari fœtus. Hæc quidem doctrina, an vtero humano quadret tam bene quam vteris quadrupedum, anatomici diſpiciant, iidemque iudicent, annon acetabula vteri, toties apud Hippocratem obuia, prodant, quod feminæ humanæ vterum forte numquam conſpexerit.

CCLXXVIII. Quatuor eſſe humores in corpore noſtro, ſanguinem, phlegma, ac bilem duplicem, flauam puta ac nigram, docebat. Horum omnium communis fons eſt ventriculus: ſed ſpecialiores ſcaturigines, vbi ſecreta illa prodeunt, oſtendit. Sanguinis nempe cor, pituitæ caput, melancholiæ lienem, bilis autem flauæ, folliculum hepati appenſum. Lienem vero non ſolum melancholiam attrahere, ſed aquam etiam, eamque ad veſicam dimittere, vel ad ventrem, alio loco addocet. Atque hos quatuor humores deinde in ſchola medica diutiſſime manſiſſe, fundamentoque multorum dogmatum ſeruiiſſe, notiſſimum eſſe debet ex inſtitutionibus medicis, quales patrum noſtrorum æuo vbique erant receptæ.

CCLXXVIIII. Sed ſingula perſequi, non eſt huius operæ. Si quis per omnes duci partes optat, adeat IO. ANTONIDAE VAN DER LINDEN medicinam phyſiologi-

logicam, in qua de Hippocratis doctrinis phyſiologicis inueniet amplam expoſitionem, atque ipſorum locorum, vbi teſtimonia relegi poſſint, diligens indicium.

## CAP. III.

### DE
### PATHOLOGIA HIPPOCRATIS.

CCLXXX. Pathologiæ Hippocraticæ ſatis connexum ſyſtema dare liceret, neque valde obſcurum, ſi liber de flatibus ad Coum noſtrum ſecure referri poſſet. In eo oſtendit & quomodo flatus in nobis generentur, & ab his deinceps omnes morbi propullulent. Inuenias in illo multa, quorum recentiſſimi æui aliquos magnos viros non puduit, quæque ab illis prolata, & ſic nouitatis gratiam adepta, multis mirifice placent. Sed quum librum haud inuenuſtum Hippocrati Coo non poſſim tribuere, nolo ex illo multa afferre.

CCLXXXI. Quum in prædicto libro febrium generatio a flatibus deducta ſit, in aliis libris eandem in humores, & ſeorſim in bilem, coniici videas. Quod dogma, quum Galeno magis placuerit, in ſcholis medicis diutiſſime manſit, & forte non omni ratione caret, quod in multis febribus bilis vitiata ſit, præſertim in populum

lum graſſantibus: ſed illa a flatibus pathologia, hincque affectis ſolidis, nec aſpernanda videtur.

CCLXXXII. Morbi ſacri ſeu comitialis pathologia memoratu digna videtur. Cerebro cauſam eius adſcribit, quod membranarum interuentu in partem dextram & ſiniſtram diſſepiatur. Illud ſubire duas venas, alteram ab hepate, ab liene alteram. In hanc ab liene ſpiritus attracti copiam deferri, cerebroque ſuppeditari. Habere autem cerebrum ſuas expurgationes, quæ, ſi parce nimis vel copioſe, in hanc vel illam partem, fiant, ibique decumbant, morbos ingenerent. Optimam eſſe excretionem pituitæ nimiæ a cerebro ad ſuperficiem cutis depoſitæ. Hinc pueri ſaluberrime degunt, quibus vlcera in capite, in auribus aut reliquo corpore erumpunt, aut qui ſaliuæ multum eiiciunt ac muci plurimum excernunt. Sed qui mundiſſimi ſunt, & neque per vlcera, nec muci excretiones expurgantur, & puellæ, quibus purgationes vterinæ non ſuccedunt, talibus periculum epilepticorum pathematum imminet. Ingruente igitur paroxyſmo collectam atque detentam pituitam frigidam ad dictas venas deſcendere: hinc hominem mutum fieri, ſuffocari, ſpumam ex ore effluere, ſenſus aboleri, artus conuelli, cetera epilepſiæ ſymptomata euenire.

Le-

Legatur ipſe de morbo ſacro: vbi ſingulorum rationes conatur reddere: vnde phyſiologiæ eius non pauca momenta cognoſcentur.

CCLXXXIII. Hæc quum ita ex cauſis in corpore obuiis deduxiſſet, grauiter illos coarguit, qui, hunc morbum diuiniorem rati, ad varia numina, ægrotantibus irata, retulerunt, curationemque ab expiationibus & incantationibus magicis moliri fuerunt. Recte concludit, a puriſſimo deo corpora hominum non inquinari; qui potius aliunde inquinatum purificare cupiat & liberationem homini a malis præſtare cupiat. Prouocat deinde ad animalia epilepſiæ obnoxia, quorum diſſectorum cerebra humida & male olentia deprehendantur. Atque ab his ad hominem, hoc morbo correptum, concludit.

CCLXXXIIII. Non obiter inſpiciendus hic locus videtur, quoniam anatomiæ illius, quam practicam hodie celebramus, rudimentum ſiſtit. Atque eiusdem in animalium morboſorum corporibus facti ſcrutinii, & ad hominem translati, exemplum videas libro de affectionibus internis, vbi hydropis originem a tuberculis in pulmone oſtenſurus, ad boues, canes, ſues, diſſectos prouocat. Scilicet illo æuo, vt ſupra dicebamus, hominem mor-

tuum

rium diſſecandi nulla erat poteſtas, ob nimiam, qua circa funera verſabantur, ſuperſtitionem.

CCLXXXV. Qui tam aperte refutauerat illos, qui deos, lucri ſui cauſa, morborum homini auctores perhibebant; quique hoc pluribus locis fecit: tamen aliis libris & locis inculcat medico τὸ θεῖον obſeruandum. Quoniam autem id abrupte tantum facit, minimeque explicate, vel intruſum in textum Hippocratis ab alio videri id debet, vel forte quæ alio tempore ſcripſit, maturiori ætate correxit. Quam variæ ſint de hoc auctorum ſententiæ, hic locus non permittit explicare. Sed mireris, quod noſtratium aliqui volumina ſcripſerunt, quibus τὸ θεῖον Hippocratis ad malos genios & ſagas transtulerunt, tamquam cum his Deus omnipotentiam ſuam partitus ſit.

CCLXXXVI. Quoniam Hippocrates pleiadum vel caniculæ ortus crebro commemorat, vbi de morborum origine diſſerit; viſus aliquibus fuit, tamquam aſtrorum influxui aliquid tribueret. Enimuero demonſtrandum eſt, quod horum alio, quam temporis deſignandi, ſimulque tempeſtatum tunc ſolemnium, fine meminerit.

CCLXXXVII. At vero aeris, per anni tempora, diuerſæ conſtitutioni ac viciſſitudi-

tudini, locorumque ad ventos, paludes, fluuios, montes diuerſo poſitui, ipſorumque ventorum variæ naturæ, plurimum tribuit. Deinde corporum humanorum ſecundum ætates, vitæ genera, victumque diuerſæ conſtitutioni magnam vim eum tribuiſſe ad morbos ſuſcipiendos, ex aphoriſmis, ceterisque operibus, manifeſtum eſt. Suadet medico, in vrbem aliquam aduentanti, horum cognoſcendorum diligens ſtudium. Teſtes huius rei ſunt libri, quos de aeribus, aquis & locis conſcripſit: vt & illi, quos de popularibus morbis reliquit.

CCLXXXVIII. Patet igitur, quod in morborum cauſis remotioribus & antecedentibus felicior fuerit Hippocratei æui induſtria, quam in proximis: quod eſt condonandum, quia multi ignorarunt, quæ nos ſero tandem, poſt improbum anatomicæ rei ſtudium, poſtque phyſicam multis modis promotam & illuſtratam, feliciter tenemus. Quod notandum videtur propter aliquos, qui neſcio quod aureum medicinæ Hippocraticæ ſæculum ſomniant; immo vero ebuccinant.

CCLXXXVIIII. Valde autem diligens fuit in parte pathologiæ hiſtorica & obſeruationibus condendis, quibus de varia ſyndrome morboſorum affectuum, iſtis temporibus viſa & obſeruata, deque eorum

rum decurſu, ſiue ad ſalutem, ſiue interitum, erudimur. Et quamquam in his multa ſunt, quæ nobis, vtpote in alio climate degentibus, neque eodem victu vitæque genere vtentibus, multa etiam in curatione ipſa per medicamenta ac methodos diuerſas mutantibus, haud æque ſemper reſpondent: pleraque tamen ita ſunt comparata, vt non ſine magno fructu noſcantur.

CCLXXXX. Sagaciter animaduertit, non omni ætati omnes morbos ingruere, ſed eſſe alios infantili frequentes, alios puerili, aliis ætatibus alios. Quosdam ſparſim aliquos adoriri, aliquos certo tempore in populum graſſari, diu deinde omnino conticeſcere: alios denique vni regioni quaſi vernaculos eſſe. De exitu & decurſu probe obſeruauit, quinam celeriter iugulent, qui breui tempore, ſæpius ad interitum, quam ad ſalutem, terminentur, qui denique tardo gradu ad exitum procedant: quæ ſingula nobis æque reſpondere ſolent.

CCLXXXXI. Illud quoque in acutis paſſionibus adnotauit, quod ſibi relictæ; neque curantium ope interpellatæ, mutationes quasdam conſpicuas ad ægroti ſalutem habeant. Id quum ſæpius accidere ſoleat certis diebus, illud diligenter notatum ad nos transmiſit. Ipſam mutationem

criſin vocauit, termino a iudiciis tranſlato: dies autem, quibus accidere ſolent, criticos ſeu iudicatorios. De his multa accurate ſcripſit, vt fere nihil maiori ſtudio agitaſſe videri poſſit, quam vt hanc doctrinæ partem nobis exquiſitiſſimam relinqueret.

CCLXXXXII. Ita tamen in his verſari voluit, vt ea, quæ facti ſunt, adnotare ſatis haberet, cauſam vero, cur ita ſingula eueniant, ad medicinam non pertinere exiſtimaſſe videtur. Vno loco quaſi timide rem tangit, laudatque, allegari ab aliis ſolitam, harmoniam aliquam & integritatem ac perfectionem numerorum. Ex quo deducimur ad cognoſcendam rei originem a Pythagoricis numerorum doctrinis. CORN. CELSVS pridem id etiam vidit. Cui placet, animum talibus ſpeculationibus paſcere, adeat PLATONIS TIMAEVM, &, qui in hunc proſtant, amplos veterum commentarios. Quando Pythagoram nominaui, fontem, ex quo Græci hauſerunt, indicare volui: vero autem ſimile eſt ad Aegyptios, & forte alias remotiores gentes, vltimam originem eſſe referendam.

CCLXXXXIII. Eorum, quæ in decurſu morbi accidunt, ſymptomatum imminutione, incremento, ceſſatione, nouorum acceſſione, edocebantur de criſi, qualem,

quo tempore, exſpectare debeant. Atque adeo exactam illam ſymptomatum enarrationem & adnotationem neceſſariam ducebant, quoniam pro ſignis ſunt, ex quibus prænoſcere futura in morbis & prædicere poſſumus.

CCLXXXXIIII. Pulſui, tamquam ſigno, Hippocratem attendiſſe, vix aliquibus paucis locis probari poteſt. Certe illam ἀκρί-βειαν, quam ſequens ætas excogitauit, tunc ignoratam fuiſſe, manifeſtum eſt: omninoque inadæquatam ac falſam rationem pulſus alicubi poſitam, quoniam in ſcripto admodum dubio legitur, prætermitto. Vrinæ conſiderationi plus ipſum tribuiſſe inuenimus; & quod ad quantitatem, calorem, conſiſtentiam, ſedimentum, innatantia, bullulas ſuperſtantes, idque genus alia, cum cura reſpexerit. Deiectiones porro alui, ſputa, & qualia vomitu reiecta ſint, conſiderabat. Faciem etiam ac oculos & linguam obſeruabat, quin habitum vniuerſi corporis, quantum ille in vniuerſum, aut in certa regione, collabatur.

CCLXXXXV. Neque tamen tot ſignorum obſeruatione prognoſin ſemper indubiam nos conſequi ratus eſt. Quin potius aperte faſſus fuit, acutorum morborum non omnino infallibiles eſſe prædictiones, neque mortis, neque ſanitatis. Fuiſſe autem aliquos illo tempore iactan-

tio-

tiores, qui magis vaticinando, quam prædicendo, artis ſuamque exiſtimationem in diſcrimen adduxerunt, grauiter indignans & vanitatem illam arguens teſtatum reliquit.

## CAP. IIII.

### DE PRAXI HIPPOCRATIS.

CCLXXXXVI. Viuebat Hippocrates illis temporibus, quibus medicina nondum erat in tres partes diducta: adeoque conſilium ſuum expetentibus ſuccurrebat diæta rectiſſime conſtituenda, medicamentis commodis & chirurgicis auxiliis. Et diætam quidem præſcribebat ſanis, qua vſi ſaluberrime degerent & morbos effugerent: deinde in dubia valetudine degentibus, & ad morbos declinantibus: tandem omnino decumbentibus, & vel acuto vel tardo morbo correptis.

CCXXXXVII. Diætæ, qualem ſano homini, qui ſuæ ſpontis eſſet, præſcripſerit, ſpecimen dat elegans libellus de ſalubri victus ratione, quem quidem plurimi Polybo, Hippocratis genero, adſcribunt: ſed & aliis libris ſuis hu pertinentia multa inſeruit. Inprimis hoc commendat, cibis citra ſatietatem veſci & ad labores

impigrum eſſe. Laboris neceſſitatem valde inculcat. Fieri enim vix poſſe, ait, vt is, qui cibos aſſumit, ſanus ſit, niſi etiam laboret. Quippe labores ea, quæ inſunt, conſumunt, cibi autem & potus ea, quæ euacuata ſunt, explent. Sed in labore, cibo, potu, ſomno, rebus venereis, modum adhibendum ſuadet.

CCLXXXXVIII. Plura poſſemus ſingularia de ſalubritate ciborum, potuum, deque exercitationum generibus vnicuique commodiſſimis, afferre, ſi certum eſſet, quod libri de diæta Hippocrati vere debeantur. Curioſe certe de omnibus diſputat, atque adeo non paucorum, quæ vulgaris eſſe vſus non ſolent, vires commemorat, vt carnium tam elixarum quam aſſatarum equinarum, aſininarum, vulpinarum, quin erinacei etiam terreſtris; quas ſingulas quibusdam ſeorſim commendat.

CCLXXXXVIIII. Vt vero ſuperflua educerentur, & inutilia conſumerentur, non ſolum a laboribus exſpectabant, ſed etiam vomitus diæteticos, enemata, frictiones, balnea, adhibebant: quæ ſingula ſunt, quibus vti athletæ etiam ſolebant. Vt intelligas hominibus Græcis, qui a pueritia gymnaſiis operam dabant, a conſuetis diſcedere difficillimum fuiſſe, etiam vbi liberius & remiſſius degere licebat.

CCC.

CCC. Neque ab illa diæta omnino diſcedebat in homine ſub latitudine ſanitatis, vt ſcholæ loqui ſolent, verſante, aut in tarda aliqua paſſione laborante, ſed orthoſtadiam adhuc tuente: quamquam in talibus medicamenta tempeſtiue interponebat. Sed acuto morbo correptis ſola diæta & medicinis ſuccurrebat, exercitia autem omnino vetabat ſuſcipere: quoniam hæc febri inimica eſſe judicabat. In quo Prodicum diſerte coarguit, qui febricitantes conficiebat imperatis ambulationibus, luctis & fomentis.

CCCI. Ante vero, quam longius prouehamur, iuuabit intueri practicas aliquas regulas, quas Hippocrates inculcauit. Morborum naturas ipſas eſſe medicatrices, oportere igitur medicum attendere molitionibus naturæ, diebusque indicatoriis conſiderare, quali illa criſi iudicatura & liberatura ſit. Quæ vero iudicantur, vel iudicata ſunt integre, nullo modo mouenda aut nouanda ſunt, ſed omnino relinquenda. Quæ vero ducere oportet, quo maxime vergunt, eo ducere oportet per conuenientes locos: cum eo tamen, vt concocta medicamentis aggrediamur, non cruda, neque in principiis, niſi turgeant.

CCCII. Altera regula generalis eſt: quicunque morbi ex repletione fiunt, eos

euacuatio ſanat: & quicunque ex euacuatione, repletio. Similiter in aliis contrarietas obſeruanda eſt, vt labori quies ſuccurrat, & quietis medelam ex labore reperias. Medicina enim nihil aliud eſt, niſi adpoſitio & ablatio. Ablatio quidem eorum, quæ excedunt; adpoſitio autem eorum, quæ deficiunt. Qui autem id optime facere poteſt, is optimus medicus cenſebitur, quantumque quis ab hoc præſtando deficit, tantum deficit quoque ab ipſa arte.

CCCIII. Enimuero hunc ad contraria tranſitum paulatim, & ſubinde interquieſcendo, iubet ſuadetque facere. Multum enim & repente euacuare aut replere, calefacere aut refrigerare, aut omnino quomodocunque corpus mouere, periculoſum eſt, Quicquid enim eſt nimium, naturæ eſt inimicum: quod vero paulatim fit, tutum eſt, cum alias, tum vel maxime, ſi ab vno ad alterum facimus tranſitum. In hoc autem proſpiciendum vel maxime iubet, ne quod in partibus vel firmis vel ſolidis ſubſiſtat vitium, quod laudabili a contrario ad contrarium tranſitui impedimento eſſe poſſit.

CCCIIII. Si qua vero euacuari loco non conueniente cœperint, reuelli ea iubet: ſi autem conuenienti & commodo, iis tum viam ſtruere præcipit. Si reuulſio minus

minus expedita videatur, ad proxima emunctoria deriuationem tentare ſuadet. Quæ autem prodeunt, copia minime eſſe æſtimanda docet, ſed quamdiu prodeunt, qualia oportet & æger facile ferat. Vbi vero opus eſt debilitare, & ad animi vsque defectionem educere: id quoque faciendum eſſe, ſi æger modo ferre poſſit.

CCCV. Cum quis omnia recta ratione facit, neque tamen pro ratione ſuccedit negotium, non eſt ad aliud progrediendum, ſi manet, quod ab initio viſum fuit. Scilicet non methodus tunc mutanda eſt, etſi vel maxime medicamenta mutare placuerit. Identidem tamen deliberandum, annon aliquid præteruiſum aut temere ſtatutum fuerit. Aliquando etiam curationibus interquieſcendi moras interponere conſultum eſt.

CCCVI. Victis denique a morbo manum admouere vetat. Quod ſi ſpes aliqua iuſta ſuperſit, magnitudini morbi magna & maxima opponere decet remedia. Quæ enim medicamenta non ſanant, ea ferrum ſanat, quæ ferrum non ſanat, iis ignis adhiberi debet: quæ vero nec hic ſuperat, ea inſanabilia reputare oportet.

CCCVII. Nunc, poſt regularum ſummarum recenſionem, ſpecimina aliqua praxeos Hippocraticæ dabo, ſecundum therapiæ generalis capita. Euacuationem

ventriculi & inteſtinorum moliebatur vel per leuiſſima, vt herbam mercurialem decoctam, cuius ſuccum cum ptiſanæ pari menſura & melle ſorbendum dabat: aut braſſicam, vel folia ſambuci, decoctumque betæ cum ſale & melle iungendum præcipiebat. Lac aſininum coctum, non minus duodecim, ſæpe ſedecim, heminas bibendum dabat. Alio tempore lac bubulum, & caprinum, propinabat, quin equinum ὀπτευσμένον: neſcio an ebutyratum, quod vero ſimillimum videtur, an ſerum eius. Cuiusuis enim lactis ſerum, ſed decoctum, frequenter copioſeque ſumendum præcipiebat. Neque ſolum ſubducendæ per talia alui cauſa hæc dabat, ſed etiam vt per ſuperiora moueret, ſcilicet repleto per ea & extenſo ventriculo pinnam vomitoriam applicare iubens.

CCCVIII. Iungebat talibus, perinde vt nos hodie ſolemus, enemata, glandes, ſuppoſitoria: de quibus aliqua adiicere nihil opus videtur. Vbi autem tam lenia non ſufficiebant, neque reformidabat fortiſſima draſtica: ratus, ventrem a medicamentis non exulcerari, quoniam res eſt valde robuſta & valida, veluti pellis & corium. Dari autem purgantia, quæ, pro medentis intentione euacuent, vel bilem flauam, vel nigram, vel pituitam, videtur firmiter perſuaſum habuiſſe; perinde ac

omnis

omnis inſequutorum medicorum ſchola per multa ſæcula habuit.

CCCVIIII. Inter illa fortiora regnat vtrumque veratrum: de quo aliqua attigimus §. 84. Non dandum cenſebat vel ſanas carnes habentibus, vel ſine ſollicita præparatione, per abſtinentiam a vino & labore, per humectationem victu conueniente comparandam, perque vomendi habitum, crebro vomitoriorum diæteticorum vſu quærendum. In promtu debebant eſſe, quibus ſymptomatibus, ſtrangulationi, ſingultui, conuulſionibus obuiam iri poſſet. Ante omnia ſpes in eo reponebatur, ſi quam celerrime exiret: idque promouere motu, clyſteribus, vomitumque adducentibus artibus, machinabantur.

CCCX. Albo veratro plerumque iungebat ſeſamoides, quod, quale fuerit, incertum eſt. Nigro adiiciebat peplium, quod eſulæ ſpeciem plerique interpretantur: aliqui papauer ſpumeum Dioſcoridis, ſed nobis non cognitam plantam. Certe Hippocrates papauer album inter purgantia refert, & PLINIVS quoddam papaueris genus tithymalum eſſe vocatum prodidit. Notabile eſt, quod de peplio adiecto exſpectabant flatuum promtiorem eruptionem: quodque eodem ſcopo illi ſolebant

 ad-

addere varia carminatiua, vt daucum, ſeſeli, cuminum, aniſum, alia ſimilia.

CCCXI. Cetera medicamenta fortiter purgantia, quæ apud Hippocratem memorantur, ſunt coccus Gnidius, quem interno vſui, ſed frequentius externo, deſtinatum videmus: cneorum ſiue cneſtrum, putatur eſſe ille frutex, cuius fructus ſunt grana illa Gnidia, (§. 130.) quique notiori nomine thymelæa vocatur. Hoc non memini ad vſus internos vllibi proponi. Colocynthidem pariter commemorat, ſed ad vſum potius externum, quam internum. Similiter etiam thapſiam vt & cyclaminum, cum flore ac ſquama æris adhibuit, potiſſimum externe: quamquam thapſiæ ſuccum, multa calida remixtum, etiam intro ſumendum video propoſitum. Quin æruginem adeo, abortus concitandi cauſa, cum potione ſyrmæa aſſumendam ſuaſit. Pariter ſcammonii ſuccum, ad vteros extergendos, iniiciendum, & peſſarii modo applicandum ſuaſit. Frequentiſſime tamen elaterium, vt digerens, in peſſariis apponere iubet. De interno vſu puto illud eſſe ſubintelligendum, quando τὰ ἐλατήρια commendantur. Atque alicubi pro infantibus repurgandis ſuadet adhibendum lac mulieris, aut capræ, quæ elaterium deuorauerit. Vbi vide-

videtur elaterium poni pro elleboro albo, quo capræ veſcuntur. (§. 83.)

CCCXII. Inter leniora deiectoria retulit cicer, lentes, hordeum, betam, braſſicam, mercurialem, ſambucum, cnicum. Notabile videtur, quod nullibi frequentius commendentur pharmaca in genere, & ſeorſim draſtica illa, quam in libris de morbis mulierum. Quare ſuſpicio eſt, illos forte eſſe cuiusdam e ſchola Gnidia auctoris, quem Hippocrate vetuſtiorem, ſaltem coæuum, fuiſſe ex eo colligimus, quod nullibi aloe ad vſum proponitur, quum toties occaſio eſſet eam ad internos & externos vſus commendandi. Videtur enim ex multis veroſimile, quod hunc ſuccum Græci ignorauerint, antequam Alexander Macedo de ſuo nomine dictum emporium in Aegypto condidit, per quod commercia cum gentibus Indiam colentibus aperta, & merces illarum regionum in alias gentes diſtributæ demum fuerunt.

CCCXIII. Purgari certas partes ſeorſim poſſe, credidit. Sic capiti expurgando deſtinabat coccum Gnidium, hippophaes ſuccum & lapidem magneſiæ. Quid hippophaes fuerit, non conſtat inter botanicos: ſed lapidem magneſiæ eſſe noſtrum magnetem, vix dubitare licet per DIOSCORIDEM, qui dandi modum determinat tribus

bus obolis. Eidem ſcopo deſtinabatur tetragonum: quod plane obſcurum eſt, quid fuerit. Interpretum aliqui ad ſtibium nos hic vocant, Galeno maxime praeeunte. Sed longe probabiliſſima eſt coniectura Clar. botanici Petropolitani, IO. GEORG. SIEGESBECKII, quam in programmate ſingulari nuper declarauit, tetragonum eſſe nomen arboris coniferæ, inque cedrum, pinum, laricem, abietem quadrare. Ex talibus profluit reſina purgandi facultate prædita: ex larice autem naſcitur agaricum, quo nihil eſt laudatius in purgationibus, quibus a remotioribus locis attrahere & expurgare vitioſos ſuccos cupimus. Meminerunt tetragoni, præter Hippocratem, Theophraſtus Ereſius, qui & denominationis rationem pandit, & Plinius, quamquam obſcurius, ſub ægidis nomine: quod addito Theophraſto clarius intelligitur.

CCCXIIII. Purgantibus Hippocrates potiſſimum quidem vtebatur in morbis diuturnis: enimuero nec in acutis dare ea reformidabat, atque adeo elleboriſmum in pleuritide infera impenſiſſime commendauit. Videtur omnino vſus purgantium in acutis veteribus fuiſſe familiarior, quam noſtratibus: ſed de eo ſæpius licebit documenta adferre. Nunc ad diuretica progrediar.

CCCXV.

CCCXV. Illis potiſſimum vtebatur lenioribus, quae diaeteticam rationem habent, allio, apio, porro, ptiſana tenui, decocto mercurialis, vino & mulſa aquoſis, aliquando balneis. Sed & canthari-des tres, detracto capite, pedibus & alis, tritas cum multa aqua, ſorbere iubet hydropico. Alio loco, ſed vexato, quinque, ad menſes & ſecundas pellendas, proponit: dubium an interne.

CCCXVI. Pulmones etiam expurgandi rationem ſingularem Hippocrati tributa monumenta nos docent. Scilicet vbi poſt peripneumoniam abſceſſus generati ſuſpicio erat, per immiſſa in laryngem acria tuſſim excitabant, cuius vehementia ille rumperetur, & exitus materiae pararetur. Miſcebant autem hoc fine pulueres ari, dracontii, centaureae cum pauxillo ſalis & melle, addebant quoque aquam & oleum: deinde protracta lingua mixturam hanc tepide infundebant. Si dicta acria non ſatisfacerent, ad fortiora, vt cyclaminum, ſilphium, raphani corticem, aeris florem, progrediebantur. Totam rem a Gnidiis acceptam eſſe Galenus prodit.

CCCXVII. Vteris repurgandis plerumque adhibebat ſatis acria peſſaria, enemata vterina, vt & inſeſſus ex calibus paratos, quae §. 311. laudaui. Sudoribus multum tri-

tribuebat, hancque euacuationis ſpeciem omnibus maxime communem rebatur. Sed medicinas diaphoreticas non inuenio. Adhibitis autem diluentibus, homini ad exercitia obeunda idoneo, illa præſcribebat, deinde frictionem & balneum ſubiungebat. Si id per vires ægroti non licebat, cibis potibusque præparatum ſtragulis operiebat ac fomentis calefaciebat.

CCCXVIII. Sanguinem ſincerum detrahebat venæ ſectione, ſcarificatione & profundis ſectionibus paſſim, præcipue autem in capite, faciendis. Et euacuandi quidem ſcopo illis, qui ad ſummum repleti erant, non cunctanter ſanguinem detrahebat, ne interceptione ſanguinis & ſpiritus in aphoniam, apoplexiam, conuulſiones, vrinæ ſuppreſſiones, inflammationes inciderent. Aphonia correptis venam dextri brachii ſecabat. In pleuritide ac peripneumonia internam brachii venam ab eo latere, quod dolore correptum eſt, ſecabat. Copioſas detractiones, & ſubinde ad animi vsque deliquium, præſertim ſi dolor acutus eſſet, ſuadebat. Inuenimus etiam præcepta de venis ſub lingua, atque iis, quæ in manu ſunt, incidendis.

CCCXVIIII. Scarificationem cum cucurbitulis ſanguinem extrahentibus in vſu

vti-

vtique habuit. Eæ, vbi ampliori circulo aut anguſtiori præditæ magis conueniant, ſubinde admonet. Scalpellum probat in apice non valde anguſtum, vt ex ampliori vulnuſculo viſcoſis ac craſſis humoribus exitus magis pateat. Atque hæc de therapia Hippocratis euacuante dicta ſufficiant.

CCCXX. Vbi vitia partium corporis noſtri, vel firmarum vel fluidarum, emendare alterando cupiebat, fere tantum diæteticis vtebatur. Hinc multus eſt in recenſendo quis victus refrigeret aut calefaciat, quis humectet aut exſiccet, quis digerat aut conſtipet: cuiusmodi doctrinis maxima pars libri de victu acutorum conſtat. Præcipue huc pertinet ptiſana, quam ex hordeo decorticato decoquendo parabant, dabantque aliquando totam, alio tempore ſolum cremorem ſorbendum præbebant. Acetum, oleum, ſalem, anethum iungere ſæpe ſolebant. Ex tritico decorticato cocta vocabatur alica, magisque nutritiua exiſtimabatur. Eodem referri etiam debet cyceon ſeu cinnus, ex vino, melle, polenta, aqua & caſeo coquendus, ad craſſitiem pultis ſorbilis. Sed ad medicos vſus ſubinde adiiciebantur radices, herbæ, flores, ſemina, ſuccus mali punici.

CCCXXI. Ad motus nimium intenſos

&

& excedentes opio ipſum rariſſime vſum inuenio. Vnico loco ad ſtrangulationes vteri commendatur τὸ ὑπνωτικὸν μηκώνιον, meconium ſomniferum. Multis aliis, vbi ὀπὸς μήκωνος legitur, peplii, ſeu papaueris ſpumei ſuccus intelligendus eſt. Sed mandragoram ad vſus, cum internos, tum externos, laudat, ea portione datam, qua inſanire non faciat. Commendatur melancholicis, ſtrangulare ſe volentibus, conuulſis. Exterius ad prolapſum anum & ſanguine fluentem, vt & ad vteros repurgandos, ſuccum mandragoræ ac ſilueſtris cucurbitæ, muliebri lacte temperatum, iniicere ſuadet. Sed & ad febres quartanas curandas miſcebat mandragoram cum hyoſcyamo, ſilphio & trifolio, bibendumque ex vino meraco porrigebat.

CCCXXII. Ad ſolidarum partium rigiditatem corrigendam, atque ſimul calorem corpori conciliandum, balneis, inſeſſibus, fomentationibus crebro vtebatur. Etiam ſuffumigationes non raro adhibebat. Gargariſmos quoque in vſum vocabat. Sæpe os fouet vapore in fauces per tubulum anguſtum immiſſo: quo remedio anginoſis & empyis ſuccurrere ſtudebat.

CCCXXIII. Sunt in his iam ſpecimina artis pharmaceuticæ, qualis fuit Hippocratis temporibus. Sed plura danda ſunt, vt cogno-

cognoſcatur, quam ſimplex & compendi-
oſa tunc illa fuerit. Non minimam eius partem faciunt vnguenta & olea, quæ vnico communi nomine μῦρον comprehendebantur. Scilicet oleum infundebatur floribus vel herbis odoratis, a quibus deinde vocabantur ſuſinum, myrtinum, irinum, roſatum. Subinde aromata adiiciebantur. Aliqua præparata ex Aegypto petebant, ante quam ipſi artem talia conficiendi callerent. Plurimum in re athletica conſumebatur: vt & a quouis itinere aut grauiori labore fricari, lauari & inungi ſolebant, ad laſſitudinem detrahendam: vnde acopa dicta illa vnguenta legimus. Ne facile diffluerent illita, ſpiſſitudinem illis adiecta cera, pice & ſimilibus comparabant, vnde etiam ceromata appellabantur.

CCCXXIIII. Emplaſtrorum, qualia nobis in vſu ſunt, mentionem apud Hippocratem non inuenio. Sed cataplaſmata, vel ex coctis vegetabilibus, vel ex crudis contuſis, & cum polenta, aqua, vino ſubactis conficiebant. Collyria multa habebant, id eſt medicamenta ſicca, alicuius glutinoſi beneficio in maſſam oblongam redacta, quæ vel hac ſicca forma in cauitatem aliquam, vt vaginam vteri, anum, intrudebant, vel conuenienti liquore ſoluta iniiciebant fiſtulis ac ſinubus, vel ocu-

lo inſtillabant. Ab his non multum diſcrepabant Φθοΐσκοι, genus trochiſcorum aut placentularum, quas prunis aut teſtæ candenti immittebant, emiſſoque vapore ſuffiebant vterum vel alias partes.

CCCXXV. Eclegmata etiam ſeu linctus, facili omnino arte, parabat, pulueres conuenientes melle ſubigendo. Syrupos autem & pilulas apud Hippocratem inuenire nondum licuit. Multo minus chemiæ pharmaceuticæ documentum idoneum & memoratu dignum deprehendes, quamquam noſtratium aliqui valde confidenter pugnant, vt chemicorum ordini Hippocratem aſſerant. Non abutemur opera in argumentis ipſorum referendis aut conuellendis. Maximum præſidium ipſi ponunt in loco libri de diæta: quem ab Hippocrate eſſe profectum nemo comprobauerit. Et, ſi ab ipſo ſcriptum largiamur, minime tamen probat, quod inde nimis ſecuri inferre conantur, dum vſque adeo aurificis chemiæ ſummam artem inde adſertum ipſi eunt.

CCCXXVI. De chirurgia Hippocratis illud primum notamus, quod eam ſecundum omnes ſuas partes calluerit & exercuerit: quodque illo tempore pars ea, quæ manu medetur, ab omnibus medicis vel præcipue fuerit exculta & adminiſtrata. Hinc officina medici apud Hippocratem

tem ſic deſcribitur, vt in ea omnem chirurgi operantis apparatum conſpicias. Liber de vlceribus inſcriptus, qui tamen maximam partem de vulneribus recentibus agit, maxime genuinis ſemper adnumeratus fuit: quare ex illo potiſſimum & primum aliqua referam.

CCCXXVII. Vulnus recens, niſi vino, humectare vetat, ſi non in articulis fuerit. Cataplaſma partibus vulneri circumſitis imponendum iubet. Sanguinem ſatis copioſe effluere permittit, vt partes magis gracileſcant, minorque ſuppuratio accidat. Oleoſa, quæcunque ſunt, recenti vulneri non conueniunt. Vulneratus modico cibo & potu nutriatur: quo grauior eſt læſio, eo minus offeratur. Quietem autem ægrotus agat. Purgationes pluribus vulneribus conducunt: præſertim vbi corruptionis periculum imminet. Eryſipelas accedens prorſus neceſſariam illam facit. Vbi cum vulnere eſt contuſio, ſuppurationem fieri neceſſe eſt: imponatur igitur loco tumenti cataplaſma. Vbi autem, quod debebat, abſceſſerit, ſpongias ſuperimponere oportet, & ſuper has folia multa.

CCCXXVIII. Quæ cataplaſmata admouenda ſint, quidque vlceribus repurgandis conueniat, prætermitto. Notabile tamen eſt, quod ibi ponatur formula

 ad

ad vnguenti Aegyptiaci compoſitionem quam proxime accedens.

CCCXXVIIII. Tandem de œdematibus ac varicibus aliqua ſubiiciuntur. Et pedes quidem tumidos frequentibus atque profundioribus vulnuſculis pertundit: ſimiliter etiam varicibus anguſtiſſima vulnuſcula infligit, quoniam magnas detractiones res non permittit: aliquam autem neceſſitas ſubinde efflagitat.

CCCXXX. Quod ad deligationem, commodam laudat, ſed concinnitates ad ſpectaculum comparatas & nihil iuuantes, oneroſas potius & ſubinde noxias, reprobat. Quærunt enim ægri non ornatum, ſed auxilium,

CCCXXXI. Sed etiam, vbi neceſſitas requirebat, ad ſecandum vrendumque progrediebatur. Sic fiſtulas ani quasdam filo quintuplicato traiecto, aut pilo, deinde ſenſim arctius adducto, ſecabat: verum etiam ſpecillo immiſſo ſinum diſſecabat. In capitis vulneribus os ſubinde radendum & perforandum docet, niſi velimus permittere, vt homo ſuppuretur ac conuulſus moriatur. Curioſum eſt, quod obſeruat, conuulſionem plerosque corripere in altera corporis parte: ita, vt qui læſi in ſiniſtro latere fuerunt, eos conuulſio in dextra corripiat: ſi vero in dextra capitis parte, ſiniſtra conuellatur,

CCCXXXII.

CCCXXXII. Terebrabat oſſa Hippocrates variis inſtrumentis. Hæc inter commemorat terebram cauam & ſerratam, quæ oſſibus, vsque ad membranas ſubiectas excidendis, apta eſt, noſtrorumque chirurgorum trepano ſimilis videtur. Tali etiam coſtas perforaſſe videtur, ad aquas e pectore hydropicorum emittendas.

CCCXXXIII. Fractas partes, extenſione debita prius facta, coniungebat, deinde deligationem inſtituebat. Supra faſcias ſplenia, cerato quodam modice imbuta, ponebat, hæcque iterum linteis firmabat. Deinde, firmitatis cauſa, ferulas, ſed minime comprimentes, circum hæc applicabat. Porro prudenter æſtimandum tempus commendat, intra quod quæuis oſſa conferuent. De eo accurate per ſingula docet: ita tamen, vt ætatem & naturas differentes ſimul æſtimare iubeat. Si os intra XXX. dies conferuet, decem prioribus vtendum eſt diæta parciori & extenuante. Decimo diſpiciendum eſt, ſi quid non ſatis recte ſit repoſitum, tuneque dirigere melius licet. Tum noua facta deligatione & ferulis appoſitis, relinquenda pars eſt, niſi forte pruritus aut exulceratio aliud poſtulet, donec vigeſimus tranſierit. Interea ſenſim licet ad pleniorem victum & refectionem progredi. Duabus tertiis ſic feliciter tranſactis, & laxiori deligatione, &

 pau-

paucioribus linteis circumpoſitis, vsque ad plenam ſanitatem vti licet.

CCCXXXIIII. Hunc quaſi exemplarem proceſſum voluit, quem in omnibus fractis ſequamur. Apparet, quod tunc nihil emplaſtris, fractæ parti immediate circumducendis, datum fuerit. Atque omnino ad ætatem PAVLI AEGINETAE, qui multis poſt Hippocratem ſæculis vixit, nullas in fractorum curatione emplaſtris partes datas fuiſſe, omnino conſtat.

CCCXXXV. De luxatorum curatione copioſe agit libello de articulis. Leuioribus caſibus ſola manuum opera vtebatur: ſed & machinas habebat; quibus in malo grauiori ſuccurreret. Sic ad ſpinam luxatam deſcribit machinam, quam διανάγκασμὸν vocat. In humeri laxatione commendat amben ſuam, quæ hodieque chirurgis cognita eſt & Hippocratis nomine inſignita. Sed & commemorat varios modos in palæſtra vſitatos. Quod confirmat, quæ ſupra (§. 204.) dicebamus; homines athletico inſtituto ſubſeruientes aliqua ad medicorum officia alias pertinentia agitaſſe & cum ſuis ſordibus coniunxiſſe; quod effecit, vt hodieque balneatores, ex mediaſtinis reunctoribus orti, chirurgiæ exercitium retineant.

CCCXXXVI. Sed & illam chirurgiam, vbi vulnus ſcalpello faciendum eſt, aut ignis

ignis applicari debet, minime neglexit. In renibus ſuppuratis, ſi circa ſpinam tumor exſtet, illum profunda inciſione aperit, vt pus effluat. Pectoris paracenteſin, vt & abdominis inſtituere docet, non magna ſpe certæ curationis. Sed nonnumquam, loco inciſionis, inuſtiones talibus faciebat. Et ſane ab igne minime abhorrebat. Vrebat autem cauteribus ignitis, & lino crudo: quem modum alibi attingendi locus recurret.

CCCXXXVII. Etiam oculi aliquam ſcarificationem per lanam Mileſiam puram, criſpam, fuſo circumuolutam, adminiſtrabat: de quo auxilii genere ex antiquis & recentioribus pleniſſime nos edocuit vir omnis doctrinæ laude florentiſſimus D. D. PLATHNERVS. Iam quoque veſtigia videmus apud Hippocratem terribilium illarum curationum, quæ periſcyphiſmus & hypoſpathiſmus vocabantur & lippitudinis cauſa exercebantur: de quibus plura ſuo tempore ex CORN. CELSO dicemus.

CCCXXXVIII. Tandem etiam fœtus mortui extractionem, inſtrumentorum ope peragendam, docuit. Calculum autem exſcindere diſcipulis ſuis, ſub iuris iurandi religione, interdixit: ſi modo verum eſt, quod illud antiquum ius iurandum Cous noſter a ſuis exegerit. Herniarum curationem illum agitaſſe non

conſtat: quum ipſum morbi nomen, niſi vnico loco, in monumentis eius non legatur.

# CAP. V.

## DE MEDICIS ET PHILOSOPHIS HIPPOCRATI COAEUIS.

CCCXXVIIII. Hippocratis temporibus multos fuiſſe medicos, fama quidem & nomine, re autem & nomine valde paucos, ipſius teſtimonio diſcimus. Iuuabit igitur de conditione medicorum illius temporis aliqua prius attingere, ac deinde celebritatem adeptos recenſere. His abſolutis de philoſophis, quorum in medicinam aliquod meritum exſtat, diſpiciemus.

CCCXXX. Quod tunc principes ac reipublicæ optimum ac celeberrimum quemque medicum lautis ſtipendiis ſibi adiunxerint, Democedis Crotoniatæ exemplo oſtendimus. Ipſe Hippocrates, relicta Co, quæ ipſi naſcendi iure, vt Aſclepiadæ, alimenta debebat, fortunam ſequutus in Theſſalia potius viuere voluit. Filium ipſius Theſſalum Archelao Macedoniæ regi, Nicomachum autem, Ariſtotelis Stagiritæ patrem, Amyntæ operam ſuam addixiſſe legimus.

CCCXXXI.

CCCXXXI. Vero autem ſimile eſt, honeſtiſſimum quemque, & artis fiduciam habentem, nihil omiſiſſe, quo ſe poſſent a contemtu vindicare, & nominis claritatem conſequi: alios autem, quos maior rem faciendi quam honeſtatis amor tenebat, viliores & minus decentes vias ſequutos fuiſſe De quibus ita diſſeram, vt mihi vetuſtiſſimi auctores fidem fecerunt. Ex his XENOPHON me docet, quod ſuo tempore Athenis ſollemne fuerit in vrbem aduentantibus medicis, artis operum exercendorum facultatem a magiſtratu vel populo expetere, oratione aliqua habita, qua oſtenderent, qui eſſent, quibus in arte addiſcenda præceptoribus vſi eſſent, quoque modo ſibi experientiam rerum vſu comparaſſent.

CCCXXXII. Aliquos vero etiam, vulgi gratia, ad populum verba feciſſe, ex ipſi Hippocrati tributo libello præceptionum intelligitur. In eo enim id fieri hac demum conditione permittit, vt ſine oſtentatione ac iactantia fiat. Enimuero eam moderationem haud omnes æque tenuiſſe, & per quosdam fora frequentantes & in circulis ciuitatum verſantes factum eſſe, vt medicina omnium artium viliſſima haberetur, non ſine graui indignatione conqueritur.

CCCXXXIII. Sed non ſolum ad me-

dicinam edocti, indigna ſuo nomine patrantes, artem dedecore afficiebant, verum maius erat detrimentum ab illis, qui ſibi medicorum nomen iniuſte arrogabant, magis, expiatoribus & circulatoribus, qui ſe vehementer pios ſimulantes, amplius quid ſcire iactabant, ſcilicet vt morbi luſtrationibus ac purificationibus depelli debeant, ideoque verba ſua magna ex parte ad deum & dæmones extendebant. Atque huiusmodi hominum impietatem & ignorantiam Hippocrates magna libertate paſſim coarguit, digneque vlciſcitur.

CCCXXXIIII. Plura non adiicio de illis malis, quæ medicinam, ex ſacrificulorum Aſclepiadarum templis nuper egreſſam, & in luce publica verſari incipientem, afflixerunt. Hæc autem dicenda erant propter aliquos, qui nil niſi magnifica de aureo Hippocraticorum temporum ſæculo garriunt, cui ne illud quidem incommodum, quod nobis medicaſtri pridem inferunt, cognitum fuerit.

CCCXXXV. Hæc præfatus accedo ad recenſendos medicos, quos Hippocratis Coi æuo floruiſſe certum eſt. Ex his primum laudare debeo PHILISTIONEM, quem alii Siculum, Locrum alii faciunt. Quod Hippocrati coæuus fuerit, ex eo colligas, quia præceptor fuit Eudoxi Cnidii,

dii, Platonis primum diſcipuli, deinde æmuli & obtrectatoris. Communem multis antiquis viris ſententiam, de potus ad pulmones deſcenſu, ſequutus eſt. A Plinio & Athenæo ſubinde citatur. Organi alicuius ad luxata reſtituenda inuentor ab Oribaſio celebratur. Ceterum empiricæ ſectæ, poſt Acronem, antiquiſſimus auctor perhibetur.

CCCXXXXVI. Poſt hunc **ARISTON** celebratur Hippocratici æui medicus. Galenus refert, olim valde diſputatum fuiſſe, quis auctor eſſet libri ſecundi de diæta, qui ab aliquibus etiam inſcriptus fuit de ſalubri diæta. Ille, qui hodie apud nos ſub hoc titulo exſtat libellus, conſentientibus fere omnibus, Polybo debetur: ſed ille alter tribuebatur modo Euryphonti Cnidio, modo Philiſtioni, quem antea memorabamus. Sed alii Ariſtonem noſtrum, cuius patriam non inuenio, auctorem illius faciunt. Celſus aliquod eius malagma laudat. Aliis denique PHAON, antiquus pariter incertæ patriæ & ætatis medicus libri auctor videtur. Sæpe apud Galenum citari cum videas.

CCCXXXXVII. Philiſtionis diſcipulus EVDOXVS Cnidius, adoleſcens cum paupertate conflictatus, inuenit tandem patronos, quorum beneuolentia ſubleuatus, Athenis inter Socraticos aliquamdiu vixit

&

& Platonem audiuit: deinde Aegyptum adiit, ibique a ſacerdotibus doctrinæ incrementa cepit. Euaſit tandem medicus, aſtrologus, geometra ac philoſophus inſignis, ac patriæ ſuæ legislator. In philoſophia potius Pythagoreos, quam Socraticos, ſequutus eſt, eiusque dogmata migrauerunt in Eraſiſtratum, de quo ſuo tempore exponemus. Medica non ſcripſiſſe videtur: ſaltem mihi non ſuccurrit, a quo aliquid medicum ex ipſo adductum fuerit. Eudoxo in hoc ſimilis fuit, ætatis eiusdem vir clariſſimus, METON Athenienſis, philoſophus & aſtronomus ac medicus celeberrimus, cuius tamen memoria apud chronologos potius, ob cyclum decemnouennalem, quam apud medicos, celebratur.

CCCXXXXVIII. Diſcipulum Eudoxi, CHRYSIPPVM Cnidium, infra adducemus. NICOMACHVS, magni Ariſtotelis pater, qui genus a Nicomacho, Machaonis filio, ducebat, Amyntæ, Macedonum regi, a conſiliis & valetudinis cura erat, ſcripſitque de re medica libros VI. & de natura vnum, ſed diu deperditos.

CCCXXXXVIIII. Iisdem temporibus in Macedonia floruit MENECRATES Syracuſanus, quem, ſi vera ſunt, quæ non proletarii auctores referunt ſtolidæ ſuperbiæ ſpecimina, dubiæ ſanitatis exiſtimare

omni-

omnino oportet. Præcipue curanda epilepſia ſe commendauit, eoque tantum inflatus fuit, vt ſe Iouem perhiberet, deorumque habitu inductorum hominum caterua comitatus in publicum procederet. Omitto plures huius æui, quorum, præter nomina, nihil ſingulare ad nos peruenit. Fuit etiam illorum temporum ACESIAS, infelix in artis operibus, vnde prouerbium: Aceſias eum curauit.

CCCL. Inter philoſophos huius æui maxime eminet PLATO, Athenienſis, quem decimo poſt Hippocratis fata anno diem obiiſſe ſcribunt. Hic in patria ſua, præceptis inſtitutisque philoſophiæ tunc cum maxime abundante, inſtitutus, Aegyptios & Cyrenæos deinde adiit, vt ab ipſis proficeret. Selegit ex doctrinis eorum, qui ante ſe & cum ipſo vixerunt, quicquid optimum videretur, ſicque nouam philoſophiam condidit, quæ a Socrate plurimum quidem traxit: ita tamen, vt Heracliteis, Eleaticis ac Pythagoreis etiam non pauca debeat. In hac medicinæ hiſtoria commemorandus fuit, quoniam non ſolum multa nos de priſtinæ medicinæ conditione vnus edocet: verum etiam quia aliquod quaſi ſyſtema medicinæ theoreticæ ad nos transmiſit, in libello, qui Timæus inſcribitur, & non pauca continet, quæ ſi per ſe non merentur noſci,

ſci, tamen ſcitu neceſſaria ſunt, ſi veram veterum de pluribus rebus magni momenti peruidere mentem cupias.

CCCLI. Non permittit compendii breuitas amplam recenſionem: quare paucis includere, quæ maxime notabilia videntur, ſtudebo. Corpori noſtro incluſam eſſe immortalem animam, cui corpus, tamquam vehiculum, permiſſum ſit regendum. Præter autem illam immortalem, eſſe in homine animam mortalem, quæ grauibus neceſſariisque perturbationibus affici poteſt. Immortalis illa capiti, tamquam arci, incluſa eſt: mortalis illa pars contentioſa, quæ fortitudinis & iracundiæ particeps eſt, capiti proxima inter ceruicem & diaphragma reſidet: altera vero concupiſcens, inter diaphragma & vmbilicum ſedem ſortita eſt, vbi, tamquam agreſte animal, quaſi præſepi alligata eſt.

CCCLII. Corporis omnium partium medulla principium & initium præbuit. Vincula enim vitæ illius, quam anima, corpori iuncta, agit, applicata medullæ, ex eaque diducta, vinciunt fulciuntque corporis noſtri conſtructionem. Quando medullam dicit, apertum eſt, cerebrum, eiusque partem per ſpinam excurrentem, intelligi: per vincula autem medullæ applicata, neruos inde prodeuntes.

CCCLIII.

CCCLIII. Ne vero oſſa, medullam, tamquam ſemen, incluſum fouentia, illud colliſa facile perderent, & quoniam alias expediebat homini corpus habere agile: oſſa ſæpius disiunxit, ac per membranas, ligamentaque mutuo connexuit, multaque carne veſtiuit corporis noſtri architectus. Vnde carnes & membranæ factæ ſint, in hunc modum exponit. Fictor ille noſtri corporis inter ſe commixtis & coordinatis aqua, igne & terra, ex acido ſalſoque fermentatam maſſam, ζύμωμα, compoſuit, inuicemque ſubegit, ſicque carnem mollem & ſucci plenam conſtituit. Neruorum autem naturam ex oſſis & carnis non fermentata temperatura, ex vtroque ſcilicet vnum potentia intermedium, comparauit. Pluribus locis laudat illam ζέσιν aut ζύμωσιν, efferueſcentiam & confermentationem: quam aperte ex acido & ſale lixiuo, quod nitri nomine denotat, oriri declarat, bullularumque tunc exorientium meminit. Atque hanc confermentationem ſolideſcentiæ cauſam, a Platone acceptam, ſchola medica diu conſeruauit, vt ex CORN. CELSO & THEOPHILO protoſpathario alio tempore plenius oſtendi.

CCCLIIII. De corde docet, quod, vna cum venis, ſit fons ſanguinis per omne corpus impetu quodam manantis. De pul-

pulmonum vſu ſic philoſophatur, factos illos eſſe, vt cor, quando exſpectatione terribilium rerum, inſurgenteque iraſcibili facultate, ſubſultaret, & tamquam ab igne excandeſceret, non ſolum mollioribus impingeret, verum etiam refrigeraretur. Eſſe enim pulmones ſpongiarum inſtar foraminulentos & multis canalibus inſtructos, quibus ſpiritum potumque reciperet: vnde cordi refrigeratio & caloris moderatio præbeatur. Ex quo apparet primo quidem, quod ne ſuſpicio quidem eſſe poſſit de bono Platone, tamquam circuli ſanguinis conſcio: deinde quod antiquiſſimum errorem, de potu ad pulmones demittendo, fouerit & confirmauerit, vt multis poſt ipſum ſæculis eſſent, qui pro illo pugnarent. Idem apud Hippocratem noſtrum alibi defenditur, alias impugnatur: vt incertum ſit, quam ipſi ſententiam vere debeamus tribuere.

CCCLV. Quoniam autem iuuat ſemel declarare, quid de arteriis & venis vetuſtas ſenſerit, ita Plato, clarius quam alius quisquam, rem exponit. Inſigne & artificioſum aliquod rete, ex arteriis & venis, toti corporis noſtri fabricæ intertextum eſſe. In arteriis quidem ſpiritum ſeu aerem contineri, refrigerantem omnia & ſoliditatem conciliantem: ſanguinem vero venis includi, omnis, qui in corpore eſt, calo-

caloris fontem. Dari autem in vltimis & minimis, tam arteriarum quam venarum, ramificationibus eiusmodi reciprocationem, vt in exſpiratione quidem aer aliquantum retrocedat, quo facto ſanguis ad aliquod ſpatium rete arterioſum ſubeat. Sed iterum inſpiratus aer non ſolum ſanguinem retropellit, verum etiam ipſum aliquantulum ſubſequutus, in venas ipſas ſubit. Quis fructus ſit huius iugis atque perennis æſtus ſeu reciprocationis: quantumque ad pathologiam inde hauſtum ſit a veteribus; apud ipſum auctorem legi malo, quam hic, quoniam paucis fieri nequit, declarare. Sed erit infra locus aliqua huc pertinentia commode adiungendi, quando ad Eraſiſtratum deducti erimus.

CCCLVI. Sufficiant hæc de Platonis phyſiologia: nunc ad pathologiam eiusdem progredimur. Quum corpus ex terra, igne, aqua & aere compactum ſit, horum contra naturam vel abundantia, vel defectus, vel ex loco proprio in alienum translatio, inteſtinam quandam ſeditionem & morbos infert. Ita fiunt humorum corruptorum diuerſa genera, vt bilis, pro diuerſitate colorum. pituita acida, alba. Atque hæc omnia vitio extrinſecus aduentantium concitantur.

CCCLVII. His longe grauiora enaſcuntur,

tur, quando id, quod carnes oſſibus alligat, ægrotat, atque nexum cum medulla corrumpit: vel os, ob carnis craſſitudinem, non habet ſufficientem reſpirationem. Grauiſſimum eſt, quando ipſius medullæ natura, propter defectum aliquem aut exceſſum, ægrotat; vnde omnem corporis compagem diſſipari neceſſe eſt.

CCCLVIII. Epilepſiæ ortum atræ bili, albæ pituitæ permixtæ, tribuit, in diuiniſſimos capitis meatus illapſæ. Quum vero ſacræ naturæ languor hic ſit, haud abs re ſacrum eſſe morbum appellatum. Pituita acida & ſalſa languorum omnium, qui a deſtillatione fiunt, origo eſt. Quando corpus ignis exceſſu laborat, continua febris enaſcitur, quando autem aeris, quotidiana diſcreta. Quia aqua ſegnior eſt quam ignis & aer, efficit tertianam: terræ demum exceſſus quartanam.

CCCLVIIII. Animæ morbos propter corporis habitum naſci exiſtimat. Corporis vim in animam tantam exiſtimat, vt omnes malos mores deducat a corporis malo habitu, & rudi educatione; quæ tanto potentiora ſunt, ſi ad prauum corporaturæ & affectionis habitum accedant mores ciuitatis iniqui, ſermonesque priuati & publici, nec a tenera ætate tantorum malorum remedia, optimæ doctrinæ, inſtillentur.

CCCLX.

CCCLX. Ad rectæ valetudinis conſeruationem in primis commendat, vt neque animam ſine corpore, neque corpus ſine anima moueamus; quo vtraque pars, in mutua contentione, exæquatis inuicem viribus, inſurgens, bonam totius valetudinem tueatur. Sic quicunque mathematicis doctrinis operam nauat, aut cuiuis mentis indagationi vehementer deditus eſt, corporis etiam exercitia adhibeat & in gymnaſiis verſetur. Rurſus, qui corpus ſumma diligentia roborat, animæ quoque motus adiungat, ſtudeatque muſicæ & philoſophiæ.

CCCLXI. Quum itaque Plato corporis ſummam rationem, vel animi cauſa, habere nos iubeat, vix veroſimile fit, quod aliqui veteres perſuadere nobis voluerunt, ipſum academiam potiſſimum elegiſſe, in qua cum auditoribus verſaretur, quod locus eſſet minus ſalubris, ſperaretque mentem meliorem reddi poſſe, ſi corpus cum afflicta valetudine colluctaretur.

CCCLXII. De motionibus corporis ita ſcribit, vt videas, ipſum exercitationes gymnaſticas corpori purgando ſaluberrimas exiſtimaſſe: qui his vti non poſſit, vectione vtatur, aut nauem conſcendat. Deterrimus motus eſt, quem medici pharmacis ſuis in iacente ac quieſcente cor-

pore excitant, quare non ſine ſumma neceſſitate ad illum veniendum eſt. Id dogma ab Pythagora acceptum, in Eraſiſtrateorum ſchola præcipue cuſtoditum eſt.

CCCLXIII. De reliquo medicos ac iureconſultos, in republica ambos mala neceſſaria perhibuit, ob prauos mores. Satis, inquit, pudendum eſt, quod non fæx populi ſola & multitudo operariorum his indigeat, verum illi maxime, qui liberaliter educati & ingenui videri cupiunt. Bene conſtituta reſpublica medicis indigere non debet, niſi vulnerum cauſa, & quando morbi populares incidunt. Malas autem diætas & ignauiam inducere repletiones, inflationes, defluxiones, ſic vt medici cogantur de flatulentiis & catarrhis diſputare. Hoc tolerabile eſt. Sed quando medicum optimum illum iudicat, qui a iuuentute inter ægrotos verſatus, plerorumque morborum in ſuo corpore experimentum cepit: quemadmodum optimus iudex futurus ſit, qui non ſolum inter iniuſtiſſimos a teneris verſatus fuit, verum etiam omnis generis nequitiis ſemet ipſum prius exercuit: puto vtrumque non niſi in Platonis republica probatum iri.

CCCLXIIII. De medicorum ſui temporis conditione diſſerens, docet eos multis vti ὑπηρέταις, miniſtris, aliis liberis, ſeruis

aliis.

aliis. Vtriſque medicorum eſſe nomen, etiam vtroſque regi imperio magiſtri & quæ ille præcipit, exſequi. Sed id inter eos intereſſe, quod ingenui artem, cum rationibus agendorum, a magiſtris diſcunt, ſerui autem nihil, niſi quantum vſu rerum adipiſcuntur, accipiunt, quibus deinceps ad ſeruitiorum curationem potiſſimum vtuntur. Quo ſuperius iam dicta confirmantur, & origo ſeruorum medicorum declaratur.

CCCLXV. Celebres illo tempore fuerunt Syracuſanorum tyranni DIONYSII, pater & filius, vterque amore philoſophiæ & medicinæ celebris. Scribitur de aliquo horum, quod medicina facienda adeo delectatus fuerit, vt libenter etiam perageret illas curationes, quæ ſecando vrendoque abſoluuntur. Id aliqui referunt ad patrem, neſcio quo iure; habendum quoque crudelitatis indicium contendunt. Sed forte maiori iure id tribueretur Dionyſio iuniori, de quo PLVTARCHVS refert, quod, quum tyrannide excidiſſet & priuatus Corinthi degeret, id potiſſimum efficere ſtuduerit, vt a faſtu tyrannico remotiſſimus videretur. Quare totis diebus in foro obſoniorum verſabatur, aut in vnguentaria taberna (μυροπωλίῳ) verſabatur, Scilicet otioſorum conciliabula erant, quod aliunde notiſſi-

tiſſimum eſt, τὰ κουρεῖα, tonſtrinæ & myropolia, quæ ambo ſæpe dicebantur τὰ ἰατρεῖα. Credo itaque, priſcum aliquem retuliſſe, quod Dionyſius, fallendi temporis cauſa, in ἰατρείοις multum verſatus ſit: ex cuius vocis homonymia iſthæc fama ortum traxit. Quod ſi recte conieci, Dionyſius omnino ex medicorum ordine erit eximendus.

## CAP. VI.

### DE MEDICINAE FATIS AB EXCESSV HIPPOCRATIS AD PTOLEMAEVM PHILADELPHVM.

CCCLXVI. Defloruerat Athenarum, quin Græciæ vniuerſæ, maieſtas bello Peloponneſiaco, quod in XXVII. annum varia fortuna geſtum fuit. Macedones inter hæc creuerant, quibus facile deinceps erat ad ſuum nutum res Græcorum flectere, ſibique viam ad ſummum totius orbis imperium parare. Factum hoc maxime fuit Alexandri Macedonis, quem magnum vocare ſolent, felicitate, a cuius morte immenſum imperium in partes diuiſum, ſed Macedonibus attributum fuit. Ex his fuere Ptolemæi, quibus Aegyptus obtigit; in

in qua medicina præcipue poſthæc efflo-ruit, & tamquam perfugium firmamque ſedem habuit, communem ſibi cum omnibus, quæ vitam cultiorem faciunt, ſcientiis ac artibus.

CCCLXVII. Hippocrates noſter Cous apud Macedonas fortunarum ſedem poſuerat, atque ibidem etiam vitam cum morte mutauerat Olympiadis CV. anno quarto. Ab hoc ad Ptolemæum vsque Philadelphum, ſub quo Aegyptus, & præcipue Alexandria, florentiſſimum emporium, non ſolius Aegypti ſed vniuerſi orbis, maxime caput extulit, anni admodum LXX. numerantur. Quæ igitur iſta ætate acciderunt notatu digniora, hoc capite ita complectar, vt medicos potiores nunc recenſeam: ſequenti autem philoſophos de medicina bene meritos exhibeam.

CCCLXVIII. DIOXIPPVS, quem & DEXIPPVM ſcribunt, Cous & Hippocratis diſcipulus fuit, artemque ſcriptis illuſtrauit, ſed pridem deperditis. Hippocrati ſatis accurate adhæſit, præſertim in tuendo dogmate de potus ad pulmones defluxu. Quem quum aliqui impugnarent, & præcipue vrgerent epiglottidem, quæ deſcenſum illum impediat: noſter contendit ob id maxime eam eſſe a natura datam, vt, prohibitis ſolidioribus alimentis, ſolis tantum potulentis viam concedat.

De praxi eius id vnicum inuenio, quod ægrotos ſuos in febribus tantum non ſiti necare, & aquam ridicula parſimonia admetiri ſolitus fuerit. Id vero maligne per Eraſiſtratum eſſe exaggeratum, Galenus contendit.

CCCLXVIIII. PETRON, qui Galeno Πετρωνᾶς audit, ante Herophilum & Eraſiſtratum, maximeque poſt Hippocratem fuit. De hoc CORN. CELSVS hæc refert: febricitantem hominem vbi acceperat, multis veſtimentis operiebat, vt ſimul calorem ingentem ſitimque excitaret. Dein vbi paulum remitti cœperat febris, aquam frigidam potui dabat: ac, ſi mouerat ſudorem, explicuiſſe ſe ægrum iudicabat. Si non mouerat, plus etiam aquæ frigidæ ingerebat & tum vomere cogebat. Si alterutro modo febre liberauerat, protinus ſuillam aſſam & vinum homini dabat. Si non liberauerat, decoquebat aquam ſale adiecto, eamque bibere cogebat, vt vomendo ventrem purgaret. Et intra hæc omnis eius medicina erat, eaque non minus grata fuit his, quos Hippocratis ſucceſſores non refecerant, quam nunc eſt his, quos Herophili vel Eraſiſtrati æmuli diu tractos non expedierunt. Alium Petronam, Aſclepiadæ diſcipulum, ſuo loco reſeruamus.

CCCLXX. Poterant hi ambo forte etiam in-

inter Hippocrati coæuos referri: quos autem nunc ſubiiciam, Hippocrate poſteriores fuiſſe, claro antiquitatis teſtimonio conſtat. Sunt autem tres clariſſimi viri, multorumque, qui poſtea claruerunt, magiſtri, Diocles Caryſtius, Praxagoras Cous & Chryſippus Cnidius: de quibus deinceps exponam.

CCCLXXI. DIOCLES hic omnium Aſclepiadarum primus, fate[illegible] e Galeno, de re anatomica ſcripſit, in eorum gratiam, qui non eſſent de genere, in collegium tamen adoptati. Non ſuperſunt illi libri, ſed leuiori brachio & minus accurate res anatomicas in iis tractatas fuiſſe, ipſemet Galenus negare non potuit. PLVTARCHVS, qui ſcripta viri ſe vidiſſe innuit, illud prodit, quod ab Empedocle aliqua acceperit: quodque Hippocratis ſententiæ de partu octimeſtri obloquutus fuerit.

CCCLXXII. Pathologiæ Diocleæ ſpecimen notabile eſt, quod febres omnes docuerit eſſe ſymptomaticas, ſeu ἐπιγεννήματα, quæ aliis læſionibus demum accedant. Argumentatus autem eſt ab iis, quæ in oculos incurunt, ad ea, quæ magis ſunt abdita. Ad eandem partem pertinet, quod malo hypochondriaco primus omnium nomen dederit: cuius amplam deſcriptionem, ab eo acceptam, Galenus nobis conſeruauit.

CCCLXXIII. Praxeos Diocleæ ſpecimina, quæ laudantur, fere oſtendunt, quod ab ea, quam Hippocrates tenuit, parum diſceſſerit. Alimentorum aut medicamentorum vires a priori, vt dicere ſolemus, diſci docerique poſſe, negauit: ſed experientiam hic vnice valere. In paſſione iliaca curanda plumbeos globulos deglutire iam præcepit.

CCCLXXIIII. Quod chirurgiam vel maxime coluerit & exercuerit, magnis teſtimoniis conſtat. CELSVS noſter ipſum cum Hippocrate & Philotimo adducit, vt comprobet, femur luxatum reponi & integre reſtitui poſſe. Idemque auctor, vbi de telis e vulnere extrahendis agit, commendat & ample deſcribit ferramenti quoddam genus, quod Diocleum graphiſcum Græci vocant, quoniam auctorem Dioclem habet, quem inter priſcos maximosque medicos fuiſſe aſſerit. Vetuſtæ melioresque editiones belulcum id inſtrumentum vocant.

CCCLXXV. Multa de variis argumentis ſcripſiſſe Dioclem noſtrum, docent, quæ nomine eius laudata apud priſcos obueniunt. Plinio teſte rapas valde laudauit. Sed maxime notabile eſt, quod Oribaſius conſeruauit, fragmentum, quo de condimentis ciborum agit. Cognoſcas ex eo ſimplicitatem priſcæ Græciæ, ante quam

com-

commercia per Alexandriam frequentiora ac faciliora reddita aromatibus, ex remotioribus terris aduectis, eam implerent. En eorum indicem: ſunt autem ruta, cuminum, coriandrum, origanum, ſatureia, thymus, ſal, acetum & oleum: porro caſeus, ſilphium ac ſeſamum.

CCCLXXVI. Diocli proximus collocatur PRAXAGORAS COVS, Nicarchi filius, quem Aſclepiadarum, eximia aliqua gloria celebrium, perhibent vltimum. Hunc Diocli proximum veteres vbique collocant: ſed de vita & factis eius nihil ad nos tranſmiſerunt: quare de doctrinis tantum & diſcipulis exponam. In anatomicis, ſed rudiori minerua, ſe exercuit, vnde pari loco cum Diocle ponendus eſt. Præcipue contendit, quod nullus, in ſtatu ſecundum naturam, ſanguis in arteriis contineatur. Ex pulſu tamen, quod mireris, ſtatum ſanguinis cognoſcendum docuit. Apparet, quod tunc & arterias a venis disiungere, & de pulſu magis ſollicite quærere cœperint, quorum quidem neutrum in Hippocrate deprehendimus.

CCCLXXVII. Arteriis vim quandam propriam & connatam pulſificam, non minus, ac cordi ipſi, tribuit. Illam a palpitatione, tremore ac ſpaſmo, non genere, ſed magnitudine tantum differre. Natura-

turaliter conſtituto corde pulſum edi: hoc præter naturam intenſo auctoque, primo ſpaſmum accidere, deinde tremorem, tandem palpitationem. Neruos a corde originem ducere, cum Ariſtotele, credidit. Venæ cauæ nomen impoſuit iſti canali, qui a iecore ad renes tendit: inque ea initium febrium intermittentium eſſe affirmauit. Tandem ſuccos corporis nominibus a qualitate eorum inſigniuit; dulcem, æqualiter temperatum, vitreum, acidum, nitroſum, ſalſum, amarum, porraceum, vitellinum, vellicatorium, ſtabilem denique ſeu fixum. Ex quo apparet, quod in cauſis morborum eruendis humores potius, quam ſolida, reſpexerit: in quo a methodicis maxime nouatum eſt.

CCCLXXVIII. Praxeos ſpecimina paſſim laudantur: quæ inter referri debet audax chirurgia, quam irritis omnibus in paſſione iliaca adhibendam ſuaſit. Scilicet ventrem pubetenus diuidere, diuiſoque inteſtino ſtercora detrahere, deinde ſutura vti.

CCCLXXVIIII. Scripta viri pridem perierunt. Diſcipulos habuit longe clariſſimos Philotimum, Pliſtonicum, atque Herophilum. PHILOTIMVS a CELSO noſtro inter claros admodum auctores numeratur. In anatomicis quidem vltra præcepto-

ceptorem, qui rudius hæc tractauit, non eſt progreſſus: cuius documento eſſe poteſt dogma illud, quod cerebrum ſit inutile. Quod quidem an ita aperte crudeque docuerit, diiudicare nobis non licet, quoniam ſcriptorum eius nihil ad nos peruenit. Fuit etiam inter illos, qui in antiqua controuerſia, de oſſis femoris loco ſuo elapſi repoſitione, ſtabilem illam ac firmam fieri poſſe aſſerunt.

CCCLXXX. De PLISTONICO, quod Praxagoræ diſcipulus fuerit, teſtem habemus idoneum Celſum, quo auctore etiam diſcimus, quod cibos in ventriculo non concoqui, ſed putreſcere, docuerit. Qualem illam putreſcentiam ſenſerit, equidem non poſſum clare dicere. Forte Philotimo in hoc conſenſit, de quo Oribaſius refert, quod fermentationem quandam fieri, & ab ea bullulas exciri docuerit. Ceterum antiquitatis tenacem ipſum fuiſſe, multi teſtantur: quod vel ex eo cognoſcas, quia elleboriſmorum vſum conſeruauit, modosque excogitauit, quibus & ſecurius intra corpus daretur, & externo vſu fructum adferret.

CCCLXXXI. Subiiciam his aliquos memorabiles viros, quos huius oportet ætatis fuiſſe. EVDEMVS, incertæ patriæ, a Galeno aliisque celebratur, quod poſt Hippocratem primus in anatome fecerit ope-

operæ pretium, quodque ſeorſim de cerebro & neruis certiora & vtiliora, quam ante ipſum quisquam, protulerit. De vita eius nihil exploratum eſt: quoniam tamen in multis, ob communia merita & inuenta, cum Herophilo coniungitur; ſuſpicio eſt, ambos forte aliquando vna vixiſſe & induſtriam coniunxiſſe. Sed nolo, teſtibus deſtitutus, quicquam de hoc adſerere. Pulchrum inprimis eſt, quod his duumviris ex æquo adſcribitur inuentum glandularum ſalivalium, radici linguæ adiacentium, atque ductuum, qui ex illis prodeunt, excretoriorum. Memoratur etiam, præter ductum biliarium ex hepate ad inteſtina demiſſum, ex aliis glandulis, ibidem ſitis, fluidum quoddam lubricum, inſtar ſaliuæ, ad inteſtina veniens: quod annon pancreaticum ductum clare ſatis denotet, cuique penſitandum permitto.

CCCLXXXII. MNESITHEVS paſſim inter præſtantiſſimos & dogmaticos medicos, Hippocrati proximos, celebratur. Quum vero duo hoc nomine tunc floruerint, alter Athenienſis, alter Cyzicenus, obſcurum eſt, quid cuique tribuendum ſit. Horum vnus ample de re cibaria tractauit, & ſeorſim braſſicam valde commendauit, vſumque eius oſtendit. Neſcio quis

quis horum ellebori vſum ſuſpectum reddidit, nec adhibendum ſuaſit, niſi in illis, quos tuta curatione alia reſtitui non poſſe certum eſt. DIEVCHES etiam crebro citatur, vbi de alimentorum facultatibus & præparatione agitur. Plinius auctor eſt, quod braſſicæ laudes ſingulari volumine proſequutus fuerit. Huius ætatis fuit; ſed de vita nihil apud veteres inuenio. NVMENIVS, quem CELSVS ſemel iterumque citat, Dieuchen præceptorem habuit.

CCCLXXXIII. Plures ſunt huius ætatis medici, quorum fata & facta cum Alexandro M. implicata ſunt: de quibus ſimul agam, quando de ipſo proxime dicturus ſum. Nunc CHRYSIPPVM Cnidium, eiusque diſcipulos, ſubiungam. Fatendum eſt, quod in hiſtoria eius multa ſint incerta, quoniam præter noſtrum hunc alius fuit, patria Solenſis, ſtoicæ ſectæ philoſophus, & plurimorum voluminum auctor, in quibus etiam phyſica & medica attigit. Quumque, ſubinde, ſine diſtinctionis nota, vterque citetur: difficile eſt, ſemper diiudicare, quid alterutri iuſte tribuas.

CCCLXXXIIII. De vita eius hæc fere tantum inueniuntur. Cnido ortus, patre Erineo, in philoſophia præceptorem habuit

buit Eudoxum Cnidium §. 347. Pythagoræ addictum virum, & qui etiam Aegyptum adiit. In medicina magiſtro vſus eſt Philiſtione Siculo. Et pythagoriſmi veſtigia in ipſo cernere licet, maxime vero in clariſſimo eius diſcipulo Eraſiſtrato. Filium cognominem, medicum, reliquit, qui in aula Ptolemæi cuiusdam vixit, & calumniis circumuentus miſerabilem vitæ exitum nactus eſt.

CCCLXXXV. Hunc noſtrum Chryſippum priſcæ ſcholæ medicæ placita magna garrulitate mutauiſſe, PLINIVS auctor eſt. Videri poſſit Plinius garrulitatem noſtro impegiſſe, quum in animo haberet alterum Chryſippum Solenſem, diſputacem hominem, & ſi quisquam alius, ſcribacem. Mutationes tamen noſtrum eſſe molitum, & apud ſequaces induxiſſe, certum eſt. Proſcripſit enim venæ ſectiones & vſum purgantium. Vtrumque videtur vel a Pythagoræ ſchola acceptum, vel ab Aegyptiis. Manſit autem illud dogma deinceps in ſchola Eraſiſtrateorum, aduerſus quos multis locis diſputans Galenus noſter, Chryſippum ſubinde acriter perſtringit.

CCCLXXXVI. Celebratur Chryſippus inter primarios medicos, qui ex plantis deſumendas medicinas propoſuerunt. Integrum volumen braſſicæ commendandæ im-

impendit: quam plantam præter ceteros æſtimauiſſe Pythagoreos, teſtem habemus Plinium. Praxeos Chryſippeæ ſpecimen Galenus ex Eraſiſtrato adducit. Scilicet homini ſanguinem ſpuenti membra vinculis circumiectis conſtringebat: quod ſapientius factum Eraſiſtratus prædicat, quam ſi ſanguinem eduxiſſet.

CCCLXXXVI. Inter diſcipulos celebratur MEDIVS, qui frater fuit Cretoxenæ, matris Eraſiſtrati: cuius forte eſt malagma a Celſo laudatum & Medo cuidam adſcriptum Porro auditorem ac ſeruum quondam habuit ARISTOGENEM Cnidium, ex curatione Antigoni Gonatæ magnam famam conſequutum. Forte hic eſt, cuius Celſus meminit, vbi de curatione alicuius intemperantis hydropici ſermo eſt. Sed clariſſimum inter omnes diſcipulum ERASISTRATVM, quoniam hoc caput longius iam excurrit, vna cum Herophilo, ſingulari capite conſiderandum reſeruo.

## CAP. VII.

### DE PHILOSOPHIS HVIVS TEPMORIS, ET MEDICIS, QVI IN ALEXANDRI M. HISTORIA OCCVRRVNT.

CCCLXXXVII. Interſeremus hic conſidera-

derationem philoſophorum, qui hoc tempus illuſtrauerunt, ac tantiſper differemus Herophilum & Eraſiſtratum, quoniam niſi præmiſſo ſermone de Alexandro M. eiusque præceptore Ariſtotele, multa vix recte intelligi poterunt.

CCCLXXXVIII. ARISTOTELI patria fuit Stagira, vrbs Thraciæ, ſed a Græcis exſtructa & habitata. Patre vſus Nicomacho, regis Macedoniæ Amyntæ II. archiatro, a quo ipſum ad medicinam inſtitutum fuiſſe, more Aſclepiadarum, probabile eſt: quoniam multa in ipſo elucent, quæ medicinæ amatorem & non imperitum arguunt. Sed patre orbatus, quum XVIII. annos haberet, ad Platonem audiendum Athenas mittebatur, cui per integros XX. annos adhæſit. Mortuo præceptore in Aſia per tres annos exegit, donec ad Alexandri, tunc XIV. annos nati, educationem a Philippo Macedonum rege accerſebatur.

CCCLXXXVIIII. Regii huius pueri inſtitutioni operam per octo annos impendit, plurimo quidem tempore ab aulæ ſtrepitu remotus, in celeberrimo ad Miezam nymphæo. Probabile eſt vna ipſum inſtituiſſe ex nobiliſſima iuuentute Macedonica aliquos, qui iuuentutis principi fuerant ſocii dati, vt æmulum eſſet ſtudium. Certe Arrianus teſtatur, fuiſſe a Phi-

Philippo rege inſtitutum, vt nobiliſſimorum Macedonum filii, quum adoleuiſſent, ad regium miniſterium in aulam mitterentur. Sacer autem ſcriptor libri Maccabæorum nos edocet, illos, quibus Alexander moriens regni curam mandauit, fuiſſe συνεκτρόφους αὐτοῦ ἀπὸ νεότητος, eadem a pueritia educatione ſecum vſos.

CCCLXXXX. Quibus occupationibus santo tempore deditus fuerit, nemo veterum, quos hodie terimus, annotatum reliquit: ſed non iniuſte colligimus, quod, inter reliqua vitæ vtilia, principi ſuo multa etiam ad vniuerſæ naturæ cognitionem, ſeorſim vero ad medicinam, pertinentia inſtillauerit. Diſertum hic habemus teſtem Plutarchum, qui amorem medicinæ, quin immo peritiam eius prædicat. Neque enim ſolum ſcientia eius delectabatur, verum ſubinde etiam periclitantibus amicis curationem, viuendique regulas, præſcripſit: cuius rei teſtes epiſtolas ab ipſo exaratas allegat. Atque idem auctor addocet, Alexandrum in amici periclitantis corpore elleboriſmum inſtituendum dirigere, cautelasque omnes medico præſcribere haud fuiſſe grauatum.

CCCLXXXXI. Præterea Alexandrum ſuum curioſiori rerum naturalium ſcrutinio adſuefecit, quarum amor a prima

ætate inſtillatus, numquam animo eius effluxit. Veroque ſimile eſt, Alexandrum ab Ariſtotele tunc frequenter fuiſſe ad corporum animalium ſectiones deductum. Certe Ariſtotelem diſſectionibus multum occupatum fuiſſe, non Galeno ſolum credimus, qui ipſum in hac parte cum Herophilo contendendum putat, ſed indicibus ſcriptorum deperditorum, atque ſuperſtitum variis locis. Fuiſſe etiam illis libris delineatas figuras adiectas, clariſſime intelligitur, quoniam compluribus locis aperte ad illas remittimur.

CCCLXXXXII. Fuerunt anatomica illa pars magni operis de natura animalium, ad quod ſcribendum Ariſtotelem fuiſſe magnis & immanibus ſummis ab Alexandro conductum, peruulgata fama eſt. Sed non conueniunt teſtimonia veterum. PLINIVS nihil amplius apud ſuos auctores inuenit, quam quod Alexandri iuſſu aliquot millia hominum per totam Aſiam, & Græciæ magnos tractus, inſeruire ipſi debuerint: omnes ſcilicet, quibus venatus, aucupia, piſcatus, armenta, aluearia, piſcinæ, auiaria in cura erant. Sed ATHENAEVS omnem fidem excedit, quando Alexandrum Ariſtoteli Iↄccc talenta dediſſe ſcribit, quibus ad condendam animalium hiſtoriam vteretur, AELIANVS tandem omnem liberalitatem

hanc excitandæ hiſtoriæ naturali impenſam, Philippo, patri Alexandri, adſcribit. Manifeſtum igitur eſt, famam ex re admodum mediocri, vt perſæpe ſolet, maximam effeciſſe.

CCCLXXXXIII. Adiutus itaque Ariſtoteles regiis ſumtibus videtur haud modicam partem impendiſſe libris, quotquot tunc proſtabant, comparandis: in quo me confirmat STRABO, qui Ariſtotelem ſcribit ex omnibus ſibi notis primum fuiſſe, qui bibliothecam colligeret, idque, vt facerent Aegypti reges, docuiſſe. Sine dubio igitur anatomicis, quæ ab Alcmæone, Empedocle, Democrito atque aliis prodierunt, vſus fuerit. Certe ab Alcmæone ſcripta legit, quoniam eorum, vt refelleret, mentionem iniecit.

CCCLXXXXIIII. Quærentibus, an hominum corpora Ariſtoteles diſſecuerit, non facile reſpondere cum certa aſſeueratione poſſum. Paſſim in ſcriptis ſuis indicat, quæ animalium viſcera ſint humanis ſimiliora: quod facere non poteſt, niſi qui humana inſpexit. Licitum ipſi in illo receſſu ſuo curioſitati ſui principis ſuæque amplius fuiſſe ſatisfacere, quam in vrbe populari & ſuperſtitionibus maxime obnoxia, fuiſſe, cognoſcitur.

CCCLXXXXV. Quam non perfecta fuerit Ariſtotelis anatomica doctrina, cogno-

gnoſcetur ex paucis, quæ adducam, ſpeciminibus. Corpus humanum diuidit in caput, collum, thoracem, brachium duplex & crus duplex. Sub thoracis appellatione, veteri plane acceptione, abdomen ſimul comprehendit. Occiput omnino vacuum perhibet: cerebrum eſſe frigidiſſimum, quia nullæ hanc partem venæ intrent. Quando thoracem deſcribit, coſtas perhibet vtrinque eſſe octo: forte clauiculam ſeptem veris adnumerauit. Cordi tres ventriculos tribuit: videtur auriculam dextram pro vno habuiſſe: ſiniſtram autem, propter exilitatem, neglexiſſe. Atque hæc deſumta ſunt ex illis locis, vbi de humanis corporibus ſe agere profitetur. Errores zootomicos alii pridem notauerunt.

CCCLXXXXVI. Phyſiologica pauca ſubiungam. De partu octimeſtri agens, vitalem illum eſſe poſſe declarat, quum ſeptimeſtris ſupereſſe omnino queat. Id in Aegypto aliisque locis quotidie vſu venire: ſed in Græcia plurimos octimeſtres interire, perpaucos ſeruari. Non feminas ſolum humanas menſtruari, ſed in omnibus omnino quadrupedibus, quando ad marem admittendum & concipiendum aptæ fiunt feminæ, profluere aliquid ex genitalibus, quod καταμηνίων nomine appellat. Semen maris in vterum ipſum

ipſum recipi, ibique detentum membrana obduci, docuit. Articulari autem marem incipere quadraginta diebus exactis, feminam quarto demum menſe. Fœtus autem in vtero per vmbilicum ſolum nutriri exiſtimabat.

CCCLXXXVII. Præterea ſcripſit Ariſtoteles medicinalia duobus libris, qui hodie non exſtant. In problematibus ſuis medica non contemnenda attingit. Quorum omnium cauſa ſi non mereretur, cuius ratio in medicinæ hiſtoria haberetur: vel illudcommendare ipſum debet, quod Galenus multum de philoſophia Ariſtotelica in medicinam intulit; Arabes autem totam fere ipſius dogmatibus accommodarunt: vnde ante hos centum annos plures adhuc erant, qui ſe in plerisque Ariſtoteli plus quam Galeno tribuere profitebantur.

CCCLXXXVIII. Quoniam in indice librorum eius aliquis compareret περὶ τῆς λίθου, de lapide: non mirum videri debet, ſi non ſolum chemicorum ordini amplificando intruſus fuit; verum etiam impoſtor quidam inuentus fuit, qui ſub eius nomine libellum de perfecto magiſterio orbi obtruderet: cui ſimile de Democrito ſupra §. 169. adduximus.

CCCLXXXVIIII. Quum Philippo mortuo Alexander grauioribus curis obruc-

ueretur, quam vt Ariſtoteli porro auſcultare poſſet: ab aula ſe prudenter ſubduxit, Athenas rediit, & in Lyceo tredecim annos docendo conſumſit. Vbi ſe morbo implicitum vidit, Chalcidem abiit, ibique ſupremum diem obiit. Vix aula exceſſerat, quum aduerſus illum calumnia apud Alexandrum inſurgeret, qua effectum eſt, vt vehemens amor Alexandri erga Ariſtotelem primum langueret: deinde vsque adeo imminutus fuit, vt, ipſum contriſtandi cauſa, alios magis honoraret, quin minas etiam oſtendederet. Ex hoc audentiores facti hoſtes eius, calumniam, diu poſt Alexandri obitum, confinxerunt, tamquam cum Antipatro aliisque Macedonibus in necem regis conſpiraſſet, & aquam ſtygiam, qua exſtinctus fuerit, ſubmiſiſſet. Sed non defuerunt famæ Ariſtotelis graues hiſtorici, per quos hæc calumnia depulſa fuit.

CCCC. Qualem ALEXANDRVM formauerit Ariſtoteles, & quo modo aduerſus medicinam, eique ſubſeruientes ſcientias, animatus fuerit, ex dictis iam intelligitur. Is vero medicinæ incrementis ceteris etiam factis ſuis plurimum profuit. Aegyptum Græcis non ſolum vbique patentem reddidit, ſed omnem Græcis hominibus impleuit. Alexandria condita effecit, vt commercia cum remotioribus

ribus & antea fere inacceſſis Aſiæ Africæque gentibus, per ſinum Arabicum, facilia nunc eſſent, multumque aromatum & ad medicinam pertinentium mercium adueheretur, & citerioribus gentibus per mare mediterraneum diſtribueretur. Vereque poſſumus dicere Alexandriam, præſertim per Ptolemæos, Lagi F. & Philadelphum exornatam, mercaturæ omnis ſedem primariam, & bonarum omnium artium, atque has inter medicinæ, benigniſſimam ac florentiſſimam matrem fuiſſe.

CCCCI. Neque minus reliqua omnis eius expeditio per vniuerſam Aſiam profuit medicinæ, quum florentiſſimæ vrbes & regiones Græcis hominibus implerentur, vt & per terreſtria itinera vltro citroque commeari poſſet, & in Græciam inferri, quæ antea vel omnino inaudita, vel rariſſime viſa fuerant. Res ipſa loquitur, quam parum apud veteres medicos, Alexandri expeditione ſuperiores, locuples materia medica fuerit. Condimenta, niſi domi quædam nata aut a Cyrenæis aduecta, (§. 379.) ignorabantur. Aloen, ab hoc tempore frequentiſſimam, nec Hippocrates, nec quiſquam alius, cognouit. Eſt apud orientales conſtans traditio, quod inſula Dioſcoridis, quam Socotram hodie vocant, ab Alexandro Græ-

cis colonis impleta fuerit, qui aloes ſuccum elaborarent & in Aegyptum aduéherent.

CCCCII. Videtur autem vna cum mercibus medicis non parum de medicina illarum gentium ad Græcos veniſſe: quemadmodum viciſſim Græci orientem ſua medicina iam tunc impleuerunt. Certe tunc Aeſculapii templum Ecbatanis iam memoratur, vt & Serapidem nobis Babylone oſtendunt illorum temporum hiſtoriæ: qui etiam, non longo tempore interiecto, ex Aegypto in Græciam venit, multisque locis cultus fuit.

CCCCIII. Præter Alexandrum Ariſtoteles inſtituit optimeque formauit PTOLEMAEVM, quem Lagi F. dicebant: plerique autem Philippi ex concubina filium exiſtimabant. Bellatorem fuiſſe ſtrenuum omnes norunt, ſed pacis artibus, quam militiæ, maiorem clarioremque ex vero eum dixiſſe CVRTIVM, facile euincere ſperarem, ſi id mihi hic agendum eſſet. Sufficit ad æternam laudem eius, quod Aegyptum optime conſtituit, regnumque eius per XXXX. admodum annos ita aduerſus potentiſſimos æmulos tuitus eſt, vt muſeo & bibliothecæ, haud modicis ſumtibus condendis, & reditibus perpetuis etiam ad omnem poſteritatem pro-

propagandis, cenſum ſufficientem inuenerit.

CCCCIIII. Supra adduxi STRABONEM teſtem, quod Ariſtoteles Aegyptios reges docuerit bibliothecas colligere: quod in vnum hunc Ptolemæum conuenit. Cumque alii auctores ſint, in Aegypto reges hominum corpora ad ſcrutandos morbos inſecuiſſe: & de Herophilo atque Eraſiſtrato conſtans fama ſit, eos in Aegypto anatomicum ſtudium excoluiſſe: idque, niſi regiis auſpiciis, facere non potuerint: omnia hæc quadrant in vnum Ptolemæum noſtrum, eique ſimillimum filium, philadelphum cognomine dictum; ac fructus diſciplinæ Ariſtotelicæ habendi videntur.

CCCCV. Ab his diadema ac purpuram conſequutis Ariſtotelicæ diſciplinæ alumnis progredior ad dignitate quidem multum, ſed laude ac celebritate nominis minime inferiores, Calliſthenem & Theophraſtum. Et CALLISTHENEM quidem Olynthium Ariſtoteli ſanguinis neceſſitudine coniunctum, eiusdemque doctrinis formatum fuiſſe, omnes conſentiunt. Prorſus videtur mihi vero ſimile, quod vna cum Alexandro inſtitutus fuerit: quoniam non inuenio, quo alio tempore potuerit ab ipſo fructum inſtitutionis capere, quum Ariſtoteles, ab aula diſce-

ſcedens, hunc iam Alexandro commendauerit, vt curioſitati illius phyſicæ fouendæ, & in commentaria redigendis rebus notatu dignioribus inſeruiret: forte etiam vt iuuenes nobiles, quos rex ſui miniſterii loco ſecum ducebat, ad philoſophiam inſtitueret. Enimuero nimis erat philoſophus, quam vt Alexandrum, iam ſe adulatoribus permittentem, ferre poſſet, aut ab ipſo perferri. Ex quo factum eſt, vt infelicem vitæ exitum, tribus ante regis obitum annis, ſortiretur.

CCCCVI. Non iniuſte ad medicinæ hiſtoriam referri virum puto, quoniam, teſte Chalcidio, de oculi anatome optime ſcripſit. PLINIVS etiam crebro laudat inter auctores, quibus in concinnanda ſua hiſtoria naturali vſus fuit. Et EPIPHANIVS eum accenſet illis, qui de radicum herbarumque viribus commentati ſunt.

CCCCVII. THEOPHRASTVS, Ereſius, ab inſulæ Lesbi vrbe Ereſſo nomen ſortitus, Platonis primum, deinde Ariſtotelis auditor, eidem in ſchola ſucceſſor fieri meruit, tanto cum applauſu, vt auditores ipſum ad duo millia ſectarentur. Studium rerum naturalium, ad exemplum præceptoris ſui, coluit: cum eo vt ad vegetabile regnum potiſſimum dirigeret induſtriam; quamquam nec minerale negle-

glexit. Vtrumque tamen magis vt philoſophus, quam medicus, curæ habuit.

CCCCVIII. Exſtat hodieque eius ſcriptum de lapidibus: vt & hiſtoria plantarum, libris nouem comprehenſa. Porro etiam de cauſis plantarum libri ſex leguntur. Atque in his medicus multa, quæ ipſum valde iuuant, & ad veterum intelligentiam faciunt, inueniet. Porro etiam exſtant de ſudoribus, vertigine & laſſitudine libelli, cum aliquibus fragmentis. Non pauca ad medicinam propius facientia perierunt.

CCCCVIIII. Ipſius indicio nouimus virum ætati eius ſupparem, THRASYAM Mantinenſem, quem rei herbariæ peritiſſimum nobis commendat. De ipſo refert, quod in venenorum ex vegetabili regno viribus contemperandis exercitatiſſimus fuerit, ita vt cicutam potuerit, vt & papauer, idque genus alia ſic exhibere, vt minima quantitate interficerent: ellebori autem integros manipulos ſine noxa deuorandos præbere. Ex quo apparet, venenorum doctrinam illa ætate ſatis curioſe fuiſſe excultam. Eiusdem diſcipulum laudat ALEXIADEM, eiusdem artis gnarum, totiusque medicinæ haud imperitum.

CCCCX. Subiicimus his medicos, quos in Alexandri M. hiſtoria commemoratos in-

inuenimus. Horum facile princeps eſt PHILIPPVS Acarnan, cui Alexander ſalutem ſuam, quum ad Tarſum maximo in diſcrimine verſaretur, commiſit, etſi per litteras monitus, vt ab ipſo, tamquam corupto, caueret. Viſum doctis viris fuit, nec improbabile eſt, elleborum, ita poſcente & iubente rege, fuiſſe exhibitum. Eundem virum in regis Antigoni aula, poſt Alexandri mortem, degiſſe, ex CORN. CELSO diſcimus.

CCCCXI. CRITODEMVS Cous magnam famam dexteritatis conſequutus eſt, quum Alexandro vulnerato magnum & hamatum telum ex pectore excideret: quamquam Curtius eandem curationem tribuit CRITOBVLO, qui in Philippi regis aula floruit, & ſagittam ex oculo regis extraxit ac citra deformitatem oris curauit orbitatem luminis, auctore PLINIO. Infelix GLAVCIAS, quem alii GLAVCVM dicunt, Alexandri iuſſu cruci affixus fuit, quod credebat, ipſum Hephæſtionem, quem nimio rex amore proſequebatur, peſſumdediſſe, quum ſua potius intemperantia & violentia morbi die eius ſeptimo exſpiraſſet. Plura tunc Alexander virtute ſua indigna, ob mœroris vehementiam, perpetrauit.

CCCCXII. Feliciores fuerunt ALEXIPPVS, caſtra eius in Indiam ſequutus, cui

rex, ai

rex, ſeruato Peuceſta, comiter gratias egit, epiſtola ad ipſum exarata, & PAVSANIAS, cui litteris humaniſſimis Crateri, tunc ægrotantis, curam commendauit & cautiones circa elleborum dandum inculcauit.

CCCCXIII. Ad philoſophos huius temporis referri debet EPICVRVS, patria Athenienſis, ex pago Gargettio. Nihil de illo, quod medicinam proxime attingat, inuenio quidem; ſed memorabilis eſt, quia philoſophiam corpuſcularem Democriteam inſtaurauit & propagauit: quæ deinde, a pluribus culta, ad Romanos potiſſimum migrauit, ibique magno plauſu excepta fuit. Etiam inter Græcos manſit, ſed paucioribus placuiſſe videtur.

# CAP. VIII.

## DE HEROPHILO AC ERASISTRATO ATQVE AB HIS DEDVCTIS VIRIS.

CCCCXIIII. Tam multa ſunt, quæ de his duumuiris, eorumque diſcipulis, dicenda ſunt, vt ſingulari capite tractandi mihi viſi fuerint. Ex ſæpe dictis iam clarum eſt, quod illa periodo, quæ inter Hippocratem & Ptolemæi Philadelphi initia

initia decurrit, vterque vixerit, maximeque poſt Alexandri obitum, temporibus primi Ptolemæi.

CCCCXV. Herophili patria fuit Chalcedon Bithyniæ, Byzantio in altera continenti oppoſita vrbs, cuius nomen ſæpe etiam ſcribitur Calchedon: vnde facile deſcribentium errore fieri potuit, vt καρχηδόνιος, Carthaginenſis, perhiberetur. Quod Praxagoræ diſcipulus fuerit, ſupra §. 379. indicatum eſt: vnde de ætate viri certiores reddimur. Quos alios, præter illum, audiuerit, non inuenio. Galenus autem inter laudes eius refert, quod dialecticus fuerit.

CCCCXVI. Quantus vir fuerit, idem GALENVS ſic effatur: Herophilus reliquam medicinam perfecte callebat, ſed in anatomica diſciplina ad ſummum apicem peruenerat: huiusque tam præclaræ eruditionis potiſſimam partem non in beſtiis, vt plerique alii, ſed in ipſorum hominum corporibus, ſibi acquiſiuerat.

CCCCXVII. Quod in Aegypto, eiusque vrbe Alexandria potiſſimum anatomen exercuerit, Galeno teſte nouimus, qui annotat, ipſum, quum cerebelli aliquam partem calami ſcriptorii nomine inſigniret, talem eius ideam in animo habuiſſe, qualis conueniret calamis apud Ale-

Alexandrinos ſuos quotidiano vſu adhibitis. Non dubium eſt, quin regis Ptolemæi I. indultu illam hominum corpora diſſecandi libertatem adeptus fuerit. Regia auſpicia nobis commemorat CORN. CELSVS, quando de anatomes neceſſitate diſſerit, his verbis: Longe optime feciſſe Herophilum & Eraſiſtratum, qui nocentes homines, a regibus ex carcere acceptos, viuos inciderint, conſiderarintque, etiamnum ſpiritu remanente, ea, quæ natura ante clauſiſſet.

CCCCXVIII. Equidem nollem peruicaciter repugnare antiquæ famæ de viuis hominibus inciſis, quam TERTVLLIANVS etiam confirmat. Mihi tamen perſuaſiſſimum eſt, rem illam, vbi ſemel in vulgus ſpargi cœpit, in maius ac deterius fuiſſe exaggeratam. PLINIVS non videtur de illa certum aliquid comperiſſe, quum tantum ſcribat, in Aegypto reges corpora mortuorum ad ſcrutandos morbos inſecuiſſe. Apparet ex hoc teſtimonio, quod non ſolum ſtatum corporis ſecundum naturam anatomico ſtudio indagauerint: verum etiam ad abditas morborum cauſas inueniendas animum, & vel maxime, adiecerint.

CCCCXVIIII. Optandum vtique nunc eſſet, exſtare & ad nos perueniſſe Herophili ſcripta: quoniam autem diu perierunt,

runt, accipiendum eſt ab aliis, quicquid nobis transmiſerunt. Summa meritorum in eo vtique conſiſtit, quod primus de partibus corporis noſtri ad archetypa humana ſcripſerit: quod multis antea neglectis nomina primus dederit: quod rebus diuerſis, eodem nomine a rudioribus anatomicis antea appellatis, diſtincta nomina impoſuerit, ſicque confuſioni medelam attulerit. Sed omnia tamen vnus non potuit perficere.

CCCCXX. Sic nomina dedit inteſtino duodeno, venæ arterioſæ & arteriæ venoſæ, tunicis oculi retinæ & arachnoidi, calamo ſcriptorio, torculari, pluribusque aliis. Sed ante omnia de neruis & cerebro curatius diſpexit. Diſtinxit neruos in ſenſorios, motuique voluntario ſeruientes, quos a cerebro & medulla ſpinali prodeuntes videmus, & copulatiuos, qui circa artus ſunt, quæque nos ligamenta vocamus, & tendines, ex muſculorum finibus coalitos: quæ ſingula veteres vno nerui nomine confundebant.

CCCCXXI. Vidit etiam vaſa lactea ſeu chylifera, & deſcripſit ſub nomine venarum vndiquaque per meſenterium diſperſarum, quæ non ad hepar tranſeant, ſed ad certa corpora glandulоſa terminentur. Eadem vaſa Eraſiſtratus etiam vidit

&

& deſcripſit, tamquam arterias, modo lacte modo ſpiritu repletas.

CCCCXXII. Phyſiologica Herophili placita non multa inuenio. Sententiam eius de reſpiratione, duabus ſyſtolis totidemque diaſtolis peragenda, PLVTARCHVS nobis conſeruauit: ſed non ſatis perſpicuam. Illud ex eo ſermone colligas, quod vires motrices neruis, arteriis & muſculis adſcripſerit. Pathologiæ eiusdem fundamentum erat, quod in humidis ſit omne vitium. In pleuritide pulmonem eſſe partem affectam docebat: peripneumoniam ab ea non alio differre, quam quod in hac totum viſcus, in illa pars tantum aliqua affecta ſit.

CCCCXXIII. Semiologiam valde locupletauit pulſuum doctrina ſubtilius exculta, & in modulos certos legesque metricas deſcripta, ſecundum ætates hominum. Sed propter ſubtilitatem nimiam, & quoniam neceſſe erat in ea litteras ſcire, teſte Plinio, deſerta mox fuit hæc inſtitutio. Quales illæ ſubtilitates fuerint, & quas litteras requiſiuerint, perditis pridem libris, ignoramus. Illud inueni, quod artem ſphygmicam Praxagoras ante Herophilum iam coluerit, forteque diſcipulus fuit longius in ea elaboranda progreſſus. Placebat autem ipſi in arterias, quippe cum corde continentes, per tunicas in-

influere vim, cuius ope, perinde ac cor, dum diſtenduntur, ex omnibus partibus, vnde poſſint, attrahant, quod impleturum ſit: dum contrahuntur, reddant.

CCCCXXIIII. Practicam medicinam ſecundum omnes partes ſuas, agitauit: ſed illud nouum attulit, quod medicamentis potiſſimum pugnare contra morbos inſtituit, quum ſuperiores medici diætæ potiſſimum fiſi eſſent. Rem in primis herbariam impenſe coluit, ferturque dixiſſe, quasdam plantas fortaſſis etiam pedibus inter deambulandum calcatas prodeſſe. Sed plurimarum vires incognitas eſſe, faſſus eſt. Elleborum haud timide adhibuit, ipſumque fortiſſimi ducis ſimilitudini æquauit, qui, intus concitatis omnibus, in primis exire ſoleat.

CCCCXXV. Vt ita medicamentariæ rei deditus eſſet, forte Aegyptiorum exemplo incitatus eſt, qui medicamentis alterantibus ab antiquiſſimo æuo multum ſemper tribuerunt. Sed & diuitis, in quo degebat, emporii, conditio videtur eum in hoc ſtudio adiuuiſſe, quum per mercaturas multa indies noua, ex remotiſſimis & antea incognitis regionibus, adueherentur. In uniuerſum ſic ſtatuit, & nihil eſſe medicamenta per ſe conſiderata, & deorum manus, quando experientia ſubactus vir eadem cum recta ratione adhibet.

CCCCXXVI.

CCCCXXVI. Hoc autem ſuo in medicamentariam rem impenſo ſtudio videtur effeciſſe, vt aliqui medicinis nimium tribuerent, omninoque neglecta theoria ſolis per experientiam cognitis remediis inhiarent. Hi ſunt, qui poſtea empirici vocati ſunt, de quibus deinceps diſpiciemus ſingulari capite.

CCCCXXVII. Herophilum noſtrum etiam gymnaſticæ medicinæ ſtudioſum fuiſſe dicerem: ſi integram putarem lectionem EVSTATHII in Homeri odyſſeam, vbi commemorat Herophili medici ſigna, vna cum aliis inſtrumentis rei gymnaſticæ, etiam pila appoſita exornari. Enimuero manifeſtum mihi videtur, ibi pro Herophilo ſcriptum fuiſſe, legique debere, Herodicum, illum ſcilicet, quem medicinæ gymnaſticæ auctorem ſupra oſtendimus. § 206.

CCCCXXVIII. Herophili fuerunt admodum multi diſcipuli & ſectatores. Quoniam autem nomen Herophileorum, quo denotabantur, non ſatis diſtinguit auditores a ſectatoribus: multique ſine temporis certa nota commemorantur: dabo operam, quantum fieri poteſt, vt nunc illos tantum exhibeam, de quibus vel certum eſt, quod hac periodo vixerint, vel nullo indicio cognoſci poteſt, quod inferiori cuidam ſæculo debeantur. Illos

quoque, qui ad empiricos aperte diſceſſerunt, alii loco reſeruabo.

CCCCXXVIIII. Primum refero MANTIAM, Μαντεῖαν, qui, Herophilo familiariter vſus, ipſi firmiter adhæſit. Primum ipſi locum tribuit GALENVS inter omnes, qui de re medicamentaria ſcripſerunt. Docuit Heraclidem Tarentinum, ad empiricos transfugam. CALLIMACHVS difficiliores apud Hippocratem voces illuſtrauit. Citatur a Galeno, ex quo cognoſcitur, quod præceptorem ſuum falſe nonnumquam reprehenderit. BACCHIVS, Βακχεῖος, Tanagræus, in Hippocratem etiam commentatus eſt. Inter empiricos ab aliquibus refertur, quos decepit aliquis locus Galeni non ſatis integer.

CCCCXXX. ZENON, a Galeno paſſim laudatus, tamquam vir non ex multis, neminique Herophileorum ſecundus, ſcripſit expoſitionem ſiglarum, quæ paſſim in tertio epidemiorum Hippocratis libro hiſtoriis enarratis ſubiectæ viſuntur. Non omnibus eum ſententiam ſuam probauiſſe, ex Galeni in eundem librum commentariis cognoſcitur.

CCCCXXXI. ANDREAS, vt equidem puto, Caryſtius, ab aliquibus Herophileis, ab aliis autem empiricis adſcribitur. Fere tantum in chirurgico argumento citari ſolet. Auctor fuit libri, cui titulum fecit

nar-

narthex, quaſi dicas pharmapolium portacile. Accuſatur a Galeno, quod, de viribus herbarum agens, multas præſtigias falſasque narrationes intermiſcuerit. Et in genere non ſatis æquum ſe huic Andreæ præbet, forte ex iuſta indignatione, quod in ſuo de origine medicinæ libro de Hippocrate maligne prodidit, eum publicam Cnidiorum bibliothecam ignibus iniectis concremaſſe, ne argui poſſet, quantum ex illa deſcripſerit & in libros ſuos transtulerit. §. 240. Memoratur etiam aliquis ANDRON, cuius medicamenta ſubinde citantur. Hunc eſſe Andream noſtrum viſum quibusdam fuit. Sed forte ille antiquior fuit, quoniam Galenus ex Eraſiſtrato alicubi refert, quid ille putauerit ſurrogari paſtillis Andronis poſſe, ſi illæ non ſint in promtu.

CCCCXXXII. GALENVS in genere parum laudat Herophileos. Loquaces & arrogantes fuiſſe homines, in quibus nulla præceptoris virtus eluxerit. Inde factum eſſe, vt eorum libri rariores iam ſuo tempore eſſent. Mirum ſane eſt, quod nullus eorum commemoretur, qui in anatome colenda præclarum quid præſtiterit; prorſusque videtur artis tam præclaræ, ſi non deſiderium, libere tamen exercendæ facultatem cum Herophilo & Eraſiſtrato exſpiraſſe. Non poſſum certe

dicere, quæ cauſa languoris non inficiandi fuerit: ſuſpicor tamen, virtutem in regibus emarceſcentem non parum huc contuliſſe. Non negare tamen poſſum, empiricam ſectam, quæ vndiquaque inualeſcebat, & anatomicorum ſtudia non ſolum contemnebat, verum omnino vituperabat, plurimum etiam valuiſſe.

CCCCXXXIII. Progredior tandem ad ERASISTRATVM, nobiliſſimum Chryſippi (§. 386.) diſcipulum. Patriam habuit Iulin, inſulæ Cei, Atticæ vicinæ, vrbem. Quam cum nobilis geographi Strabonis teſtimonio noſcamus, facile deſerimus illos, qui Coum facere eum voluerunt; quum aberrandi facilis occaſio manifeſta ſit. Ariſtotelis familiam naſcendi ſorte contigit: ſed quam prope ab eo abſit, non eſt conſtans, nec huius indagationis.

CCCCXXXIIII. Diſcipulum eum fuiſſe Theophraſti Ereſii tradunt veteres, deinde incidit in Chryſippeos, qui proxima cognatione ipſi iuncti erant, Medium (§. 386.) & Metrodorum (§. 162.): aliqui omnino ipſum Chryſippum ei præceptorem aſſignant. Atque in horum doctrinis, a Pythagora deductis, perpetuo manſit, eaſdemque in longam virorum a ſe deductorum ſeriem, per complura ſæcula, propagauit.

CCCCXXXV. Vbi tirocinium artis medi-

cæ

cæ poſuerat, exercendis eius operibus ſe longo tempore tradidit. Multis teſtibus comprobatum eſt, quod in aula Seleuci, Syriæ regis, magnam gratiam inierit, ſeruato Antiocho, qui tacito amoris igne pene conſumebatur: cuius morbum non minus dextre quam prudenter detexit & indicauit patri, qui vnus medicinam facere poterat. Senex tandem ſe ad anatomica ſcrutinia, & theoriam medicam vlterius colendam, totum transtulit: cuncque multa retractauit, quæ iuuenis aliter docuerat. Exemplum huius ingenui moris laudat GALENVS, quod antea docuerat, neruos tantum a dura meninge produci, medullaris autem ſubſtantiæ productionem per illos negauerat: quam poſtea, meliora edoctus, admiſit & docuit. Sed in Hippocratem contentioſus manſit, ſicubi ille a placitis ſectæ ſuæ diſſidebat.

CCCCXXXVI. Quo loco anatomen coluerit, nemo veterum indicauit: ſed vero eſt ſimillimum Alexandriæ id eſſe factum; quoniam veteres ipſum cum Herophilo fere coniungunt, de quo indubium eſt, quod in ea vrbe fuerit. Fuerintne etiam vna, & induſtriam coniunxerint, an vero Herophilo priori Eraſiſtratus demum ſucceſſerit, nemo forte hodie certiſſime dixerit.

CCCCXXXVII. In thorace obſeruauit a

corde originem eſſe vaſorum ſanguineorum: certasque eſſe in ventriculis cordis & arteriarum principiis membranas, quibus iam tum fuere nomina tricuſpidalium & ſigmoidum impoſita. De vſu earum longum fragmentum ex Eraſiſtrati de febribus libro apud Galenum legitur. Ne autem verum vſum adſequeretur, impediuit eum falſa perſuaſio, quod ſanguis, ſecundum naturam, nullibi niſi in venis contineatur. Atque hoc dogma, Eraſiſtrateæ ſcholæ quaſi proprium & characteriſticum, omnem deinceps medicinam eius, tam contemplatiuam quam operantem, peruaſit & deformauit.

CCCCXXXVIII. Scilicet capere non poterat, cur natura, quæ nihil fruſtra molitur, duo receptacula, genere diſtincta, vnam rem continentia, fabricaſſet. Item & illud, quo pacto in vniuerſum corpus aer, quem inſpirando attrahimus, perueniat, ſi arteriæ ſanguinem contineant: vel, ſi non peruenit, quo modo, prout libuerit, mouere nos poſſimus, aut qua ratione ſine impedimento ſpiritus per arterias ferri queat, quum ſanguis ipſi reluctetur.

CCCCXXXVIIII. Si obiiceretur, ſanguinem illico ex arteria vulnerata cum impetu copioſe proſilire: reſpondebat, cutim, quæ prius vulnerari debeat, minimis arteriolis vndiquaque eſſe pertextam, ex qui-

quibus ſemel inciſis illico aer diffugiat, & ſanguini in locum eius irrumpendi locum faciat: quum ſanguis in ſpiritus, & ſpiritus in ſanguinis vias irrumpere perpetuo nitatur. (§. 355.)

CCCCXXX. Ex hoc Eraſiſtrati dogmate, de ſpiritu arteriis ſecundum naturam incluſo & ſanguine præter naturam influente, deducebantur multa tam ad pathologiam facientia, quam practica præcepta. Sic febres accendi docebat, ſi ſanguis arterias ſubingreſſus prope principem partem conſiſtat; inflammationem autem oriri, ſi illapſus ſanguis, ſed ab aere repulſus, in finibus arteriarum condenſetur. Ex eodem fundamento ſanguinis detractiones omnes non poterat non improbare: quoniam cutis incidi non poſſit, quin arteria aliqua diſciſſa ſpiritui exitum præbeat, ſanguinisque transſultum inducat. Quas curandi nouas vias hæc ſpeculatio indicauerit, inferius videbimus.

CCCCXXXI. Pulcherrimum Eraſiſtrati inuentum, cuius & Herophilum fuiſſe conſcium iam diximus, fuerunt vaſa lactea in meſenterio caprarum, ante mactationem probe paſtarum, viſa. Arterias illas putauit, alio tempore aere, alio autem lacte repletas. Sed non maiorem, quam Herophilus, fructum ex tam pulchro inuento retulit.

CCCCXXXII.

CCCCXXXXII. Ceterum alienus erat a rationibus longiuſcule repetendis, fereque ſatis ducebat ad naturam ipſam, vt artificioſam ſimulque prouidam animalis gubernatricem, tamquam ad aſylum ſeſe recipere, quoties a curioſiori aduerſario vrgebatur. Galenus etiam diſcipulis eius Pyrrhonianam ruſticitatem obiicit, qua, quoties argumentis & experimentis ſe conuictos videbant, non æquum eſſe clamabant, medicas conſiderationes dialecticis curioſitatibus ſubiicere.

CCCCXXXXIII. Cibos in ventriculo non coqui, neque putreſcere, docuit, ſed atteri, ſeu, vt MACROBIVS effert, ſubigi & digeri. Eodem teſte ſcimus, quod Platonicæ ſententiæ, de potus ad pulmones deſcenſu, ſe oppoſuerit.

CCCCXXXXIIII. Ad pathologiam tranſeo, in qua, Galeno teſte, omni modo cauit, ne morborum cauſas in prauos humores reiiceret. Reprobauit igitur illas veterum cacochymias pituitoſas, bilioſas, atrabilarias, ſimilesque a Praxagora & Herophilo ſtabilitas, qui omne vitium in humidis eſſe docuerant. Et quando febres a ſanguine, in ſpiritus vias illapſo, deduxit, non a vitio ſanguinis in qualitate morbum deduxit, ſed quoniam loco, quo non debebat, conſiſtit. Sed repletioni, ſeu plethoræ, inter morborum cauſas plu-

rimum

mum tribuebat, quoniam ab hac transſultus ſanguinis in arterias induci poſſit.

CCCCXXXXV. Atque illum transſultum humorum videtur longius etiam extendiſſe, vt & ex neruis illis, per quos motus voluntarii exercentur, ſuccus in aliena ſpacia illabi poſſit. Sic inter paralyſeos cauſas refert, ſi ſuccus lentus, tractitius, & qui non facile excerni poſſit, ex neruis in vaſa pulmonum incidat.

CCCCXXXXVI. Praxis Eraſiſtratea ab vetuſta illa Hippocratis & Aſclepiadarum in multis deſciſcebat, maxime tamen in his, quod venam ſecare prohibebat, quod purgantia remedia proſcribebat: quodque ægrotos inedia macerabat, vel ad exercitia compellebat. Et venæ ſectionem quidem, vt diximus, prohibebat, ne ſanguis ex venis in arterias irrumperet: purgantia, quia Pythagoras, cui adhærebat, ea diſſuaſerat; forte etiam, quia obſeruauerat, non raro febres, infauſto & intempeſtiuo eorum vſu, vt & inflammationes excitari. Suſpectas igitur habuit confertim & copioſe fientes omnes euacuationes, crediditque in vacuum locum alios humores irrumpere, ſicque morbos ingenerari.

CCCCXXXXVII. Proinde tamen non omnino repudiauit diæteticos lenes modos ventriculum euacuandi, vomitu a cœna

na excitato, aut inteſtina per clyſteres non acres exonerandi: quæ tanto libentius admiſit, quia Aegyptiis, quos, cum omni ſchola Pythagorea ſectabatur, talia placuerant.

CCCCXXXXVIII. Loco ſanguinis mittendi, euacuationis cauſa, vt & in purgantium vicem, ſuaſit illis, qui adſueti exercitationibus eſſent, easdem paululum vltra conſuetudinem intendere, cum apotherapia gradibus iisdem reſpondente: alimentorum autem detractionem, tam in quantitate, quam qualitate. Bis cibum capere adſuetis prandium ſubtrahebat: loco valde nutrientium offerebat debiliora & minus implentia, vt olera, cucurbitas, cucumeres, pepones, ficus recentes, legumina. His etiam aluum leniorem fieri pollicebatur. Carnibus autem & piſcibus, lacticiniis, alica, amylo, ceteris potentius nutrientibus vel interdicebat, vel parce vtendum imperabat.

CCCCXXXXVIIII. Loco venæſectionis reuulſoriæ imperabat ligaturas. Cataplasmatibus & fotibus multum tribuebat, deque his apparandis & applicandis curioſiſſime præcipiebat: prorſus vt nimia in talibus ἀκριβολογία vitio ipſi olim data fuerit. Eiusdem ſpecimen eſſe poteſt, quod Celſus noſter refert, eum cholera morbo laboranti & debilitato permiſiſſe vinum tri-

nis

nis aut quinis guttis potui adſpergendum: in quo vtique errauit, ſi vehementem infirmitatem adiuuari tantillo putauit.

CCCCL. CELSVS, quando dixerat, antiquos auctores medicamentis multum tribuiſſe, primo loco ponit Eraſiſtratum, deinde empiricos, tum Herophilum. Sed, quod mireris, in adductis curationum exemplis pauca videas medicamenta. Certe amplas & diffuſas compoſitiones vituperauit, abſurdumque declarauit, ſi quis ſimul metallica & vegetabilia, quin a venenatis animalibus deſumta, viſceribus terræ eruta, & a fundo maris petita, in vnam ollam permiſceat. Melius duxit, ſi, talibus relictis, medicinam intra ptiſanam hydrelæum, cucurbitam ſubſiſtere permitteremus.

CCCCLI. De chirurgia Eraſiſtrati apud CAEL. AVRELIANVM nonnulla inuenimus. In iecinoroſis, præcidens ſuperpoſitas iecori cutes ac membranam, vtebatur medicaminibus, quæ ipſum iecur late amplecterentur; tum ventrem diducebat, audaciter partem patientem nudans. Sed paracenteſin abdominis hydropicorum minime laudauit: vt nec dentes, niſi vacillantes, eximere ſuadebat.

CCCCLII. Apparet ex dictis, in quo Herophilus & Eraſiſtratus conueniant, aut diſcrepent. Studium anatomicum vtri-

que

que commune fuit: ſed Herophilus prior ad illud acceſſiſſe, plus etiam profeciſſe in illo videtur. Eraſiſtratus longius ab antiquis receſſit: Herophilus in aliquibus. In parte medicinæ pharmaceutica Herophilus etiam ad exceſſum vsque nouis ſtuduit.

CCCCLIII. Subiiciendi ſunt nunc magiſtro Eraſiſtrato diſcipuli clariores, de quibus exiſtimare licet, quod huius ſint ætatis. Ex his præcipuus eſt STRATO, qui familiariter diu verſatus cum ipſo, omnium optime gnarus euaſit. Galenus amanuenſem, alii ſeruum fuiſſe dicunt. Edidit libros medicos, & ſectatores habuit Stratoneos ab ipſo vocatos. Filius ipſius fuit APOLLONIVS, a patria Memphitanus dictus, qui de appellationibus membrorum corporis humani ſcripſit. De eodem argumento ante ipſum ſcripſit XENOPHON, teſte Galeno.

CCCCLIIII. APOLLOPHANES Seleucienſis, Antiochi Soteris medicus & conſiliarius, inter nobiliſſimos Eraſiſtrateos elucet. Poſt Antiochi obitum Smyrnam conceſſit, ibique celebrem ſcholam Eraſiſtrateorum condidit, quam ad ſuam ætatem durauiſſe Strabo teſtatur. Smyrnæi, vt aliorum ſcholæ medicæ antiſtitum, ita huius quoque memoriam honorauerant numis: quos exhibuit longe celeberrimus

Lon-

Londinenſium medicus RICH. MEAD, in diſſertatione de numis quibusdam a Smyrnæis in medicorum honorem cuſis.

CCCCLV. Omitto obſcuriores & incertæ ætatis alios. Galenus omnibus imputat, quod præceptorem, tamquam deum, nimis venerati, dictaque eius tamquam oracula amplexi fuerint, parumque contriſtati ægrotorum morte fuerint, ſi ad præceptoris mentem curati vita exceſſerint: quod minime mirabitur, qui in vniuerſis ſectæ mancipatis eandem mentem obſeruauerit.

## CAP. VIIII.

### DE SECTAE EMPIRICAE EXORTU.

CCCCLVI. Medicinæ empiricæ ortum aliqui altius repetunt & ad ACRONEM Agrigentinum, Empedoclis Pythagorei æmulum §. 161. referunt. De huius quidem viri medicina parum explorata nouimus. Qui ab Athenienſibus peſtilentiam eius opera profligatam dicunt, videant ipſi, vt chronologiæ reclamanti conſulere velint aut valeant. Maiori conſenſu ſollemne & publicum initium huius ſectæ refertur ad illa tempora, quibus Herophilus vixit. Et, Galeno quidem teſte, præ-

fuit ipſi PHILINVS Cous, qui primus medicinam a rationali diſciplina abſcidit, occaſione ab Herophilo, ſuo præceptore, accepta: a Philino autem Serapionem Alexandrinum ea ſecta floruiſſe. Atque in hunc SERAPIONEM Celſus etiam noſter hanc ſiue laudem, ſiue culpam, coniicit, quod primus omnium rationalem diſciplinam nihil pertinere ad medicum profeſſus, in vſu & experimentis eam poſuerit.

CCCCLVII. Videtur autem Herophilus occaſionem empiricis dediſſe non vna ratione. Nam Hippocratem, & ipſum præceptorem ſuum Praxagoram, nimis ſæpe coarguit: quod quidem vix effugere potuit, vbi in argumento anatomico verſabatur: verum etiam in aliis liberrime faciebat. Ex quo facile fieri potuit, vt homines, cogitantes de magna Hippocratis gloria & felicitate, in cogitationes illas inciderent, quæ præ vſu & exercitatione omnia, quantumuis ſubtiliter inuenta & diſputata, parui pendunt. Deinde etiam Herophili ſtudium in promouenda re medicamentaria, & frequens experientiæ, qua talium vires comprobari debent, commendatio, ad eaſdem cogitationes potuit, imo debuit, eos deducere.

CCCCLVIII. Equidem neſcio an PHILINO tribui omnia empiricorum dogmata

ta debeant, & an ſeorſim illud, quo anatomes ſtudium vituperatur. Sed facile concedam, plures illo tempore fuiſſe, qui mortuorum lacerationem impiam & abominabilem, quippe Græcorum priſco inſtituto minime conuenientem, exiſtimarent: quorum iudiciis molliores viri, & qui manus ſuas tabo mortuorum polluere verebantur, tanto libentius videntur acceſſiſſe, quo magis abominabantur aut abhorrebant plerique illius temporis homines rem nouam, & ſuis præiudiciis damnatam.

CCCCLVIIII. De Philini vita & meritis parum referunt veterum monumenta. De plantis ipſum ſcripſiſſe, ex Athenæo diſcimus: ex aliis, quod in Hippocratem, more Herophileorum, commentatus fuerit. Galenus medicamenta ex illo ſubinde aliqua adducit. De SERAPIONE Alexandrino res eodem modo habet: omninoque obſcurum eſt, ex qua ſchola prodierit. Videtur aliquibus Eraſiſtrati alumnus fuiſſe. Produxit ſupra laudatus RICH. MEAD numum a Smyrnæis cuſum Serapioni, qui an noſter ſit, in medio relinquimus poſitum. Laudantur ipſius complures compoſitiones medicamentorum, inter quas eſt choragus dicta, & ſenibus ac eneruatis deſtinata, cuius præcipuas partes faciunt ſatyrion & ſcincus marinus.

CCCCLX. Practica ſpecimina CAEL. AVRELIANVS aliqua exhibet. Cognoſcitur inde, quod ex opio & ſemine hyoſcyami compoſita catapotia in vſu frequenti habuerit, vbi in ſingulas doſes opii granum vnum & ſeminis hyoſcyami quatuor exhibuit. Atque opii vt & caſtorei vſum frequentem illo tempore inuenimus fere omnibus medicis: quum apud Hippocratem vix niſi ſemel obueniat opii commendatio. §. 321. Apud eundem, vbi de epilepſia curanda tractat, videas longum catalogum medicamentorum curationi eius idoneorum; ex quo varietatem materiæ medicæ cognoſcas. Præmittit autem curationi venæ ſectionem & purgantia, vel per ſuperiora & veratrum album, vel per inferiora, elleboro nigro aut ſcammonio mouendam.

CCCCLXI. GALENVS noſtrum, omnesque empiricos, admodum parum laudat. Iraſcitur illis, quod Hippocrati acerbe oblatrarunt; antiquos omnes & de arte meritiſſimos viros omnes præterierint, nullumque vel minima laude exornauerint. Serapionem ſeorſim reprehendit, quod antiquorum dogmatum loco triplicis ſermonis ambages explicuerit. Quis ille triplex ſermo fuerit, ex ſequentibus patebit.

CCCCLXII. Scilicet principium cognoſcendi

ſcendi in medicina vnicum admittebant, experientiam, quam Græci ἐμπειρίαν vocant, a qua ſe denominari, non a quodam ſectæ ſuæ auctore, voluerunt. Experientiam vocabant cognitionem autopſia comparatam, ſiue fortuita, ſiue conſulta. Per talem alterutram viſa & cognita, ſi ſimili caſu ſæpius tententur, noteturque euentus; hoc vocabant imitationem. Per multam imitationem comparari habitum experimentalem, quo gaudentes theoremata ſibi formant de eo, quod ſemper, quod plerumque, quod vtrouis modo, quod denique raro fiat.

CCCCLXIII. Hunc practicum habitum comparaturo præcipue commendabant τήρησιν ſeu obſeruationem cuiusque propriam: deinde lectionem hiſtoriarum, id eſt obſeruationum ab aliis fideliter conſignatarum, quæ ordine referant, quid in morbis acciderit, & quid hoc vel illud remedium effecerit. Ex quo conſequetur, vt quis ab vno morbo ad alium poſſit concludere, &, ſi noui forte incidant, ex eo, quod illi cum iam cognitis commune habent, concludere, quid agendum ſit. Vocabant hoc epilogiſmum, aut tranſitum ad ſimile. Atque adeo autopſia, hiſtoria & epilogiſmus, ſiue, vt alii efferebant, ſenſus, memoria & epilogiſmus, tamquam tres columnæ aut

tripus artis medicæ habebantur: idque Galenus voluit, quando triplicis ſermonis ambages (§. 461.) exagitauit.

CCCCLXIIII. Obſeruationem, vt proba ſit, hæc duo præcipue exhibere volebant, vt cognoſcatur, quid ſalubre, quid inſalubre, quid neutrum ſit: deinde qualis ſymptomatum concurſus qualem morbum faciat. Non enim, quicquid corpus præter naturam afficit, morbum illico vocabant, ſed talem ſymptomatum concurſum, quæ longa obſeruatio ita ſimul conuenire docuit, vt pariter incipiant, augeantur, vigeant, declinent & recedant: talemque coniunctionem, compendii gratia, vno tantum morbi nomine appellari conſueuiſſe.

CCCCLXV. Apparet, in quo empirici & dogmatici potiſſimum diſcrepauerint. Scilicet hi non neceſſariam iudicabant requiſitionem cauſarum abditarum, quæ vel ſanitatem vel morbos faciunt: indeque deſumendas, ex dogmaticorum mente, indicationes exſibilabant. Contra autem euidentium rationem ſufficere putabant, vt, ſi quis a frigore, inedia, vel nimia repletione læſus fuiſſet.

CCCCLXVI Dum abditarum cauſarum requiſitionem inter ſuperflua numerabant, etiam anatomes culturam negligebant primo, deinde, vt in feruore diſputationum

fieri

fieri ſolet, etiam vituperabant. Commendabant autem ſuo medicinæ candidato τὴν κατὰ περίπτωσιν ἀνατομὴν, hoc eſt, ſi quando miles in prælio, aut gladiator in arena, vel viator a latrone vulneretur, vbi occaſio ſit interna hominis, vt ſe viua habent, contemplandi, & per miſericordiam, absque crudelitate vel fœditate, cognoſcendi.

CCCCLXVII. Abditarum autem cauſarum ſcrutinium eo maxime argumento impugnabant, quoniam inter illos, qui ſe requirendis illis maxime impenderunt, tam medicos quam philoſophos, infinitus regnat circa talium declarationem diſſenſus: vt, cui fides potiſſimum habenda ſit, non facile poſſit intelligi aut demonſtrari. Atque medici tamen, etiam qui in his maxime diſſentiunt, ſeſeque mutuo diſceptationibus conficiunt, morbos feliciter tollunt, quando medicinas congruas legitime exhibent.

CCCCLXVIII. Recte rem perpendentibus patet, non mereri antiquos illos empiricos contemtum tantum, quo a pluribus fuerunt excepti. Videntur obicem voluiſſe ponere diſputandi libidini, ne omnem omnino medicinam amitteremus. Verum diſputandi feruor, vt fieri ſubinde aſſolet, longius aliquos abripuit, vt omnem viam, qua abditæ complures

cauſæ poſt illorum tempora ſatis manifeſtæ redditæ ſunt, præcluderent.

CCCCLXVIIII. Vidimus conditores primosque antiſtites ſectæ empiricæ. Nunc de illis diſpiciemus, qui ab his deducti fuerunt. CELSVS poſt Serapionem ponit APOLLONIVM. Sed quum tam multi fuerint, qui hoc nomine vſi fuerunt; parum explorati ſuppetit, quod de illo dicam. Idem Celſus poſt Apollonium ponit GLAVCIAM, de quo nihil inuenio, niſi quod in Hippocratem commentatus ſit, & medicamentorum compoſitiones aliquas dederit; forte etiam de plantis ſcripſerit.

CCCCLXX. Omnium autem facile doctiſſimus ac optimus fuit HERACLIDES Tarentinus, Mantiæ Herophilei (§. 429.) diſcipulus, qui in re medicamentaria perficienda & parte diætetica magis excolenda elaborauit: quo nomine ipſum commendat Galenus, teſtimoniumque honorificum bonæ fidei ipſi tribuit. In doctrina de pulſibus Herophilo contradixit. Chirurgica quoque ſcripſit perſpicue & integra fide. Ex eo Galenus cum inuidendo auctoris elogio hæc citat: femur aliquando manere, ſi repoſitum ſit, locupletiſſimus teſtis Heraclides Tarentinus eſt, vir profecto, qui neque decreti confirmandi cauſa mentitus eſt, vt plerique

ex

ex dogmaticis & decreta ſectantibus conſueuerunt; ſed, ſi quisquam alius fuit, ipſe operum medicinæ admodum peritus exſtitit.

CCCCLXXI. In omnia Hippocratis opera, teſte Galeno, commentatus eſt. Laudantur eius libri de curatione paſſionum interiorum, vt & liber regularis, ſeu diæteticus. Ex quo apparet, empiricos illos, quantumuis rei medicamentariæ ſtuduerunt, tamen nec diæteticam, nec chirurgicam partem medicinæ neglexiſſe. Teſtem diæteticæ curationis habemus Celſum, qui laudat eius conſilium, quo iubet febricitantibus, vbi aut bilis ægrum aut cruditas male habet, per modicas potiones ſubinde nouam materiam corruptæ miſceri. Non autem probat quartanæ curationem, qua primis diebus aluum ducere iubet: deinde abſtinendum in ſeptimum diem præcipit.

CCCCLXXII. Frequentem caſtorei & opii vſum apud empiricos fuiſſe, iam ex §.460. patuit. Idem de Heraclide etiam conſtat, cuius antidotum aliquam Galenus deſcribit ex ſucci cicutæ, hyoſcyami, ſingulorum drachmis quatuor, caſtorei, piperis albi, coſti, myrrhæ, opii, ſingulorum drachma vna. Hæc comminuta, paſſi cyathis duobus additis, in ſole tam diu commiſcebis, quo-

ad denſeſcant inque rotulas confingi poſſint: quarum vnam, fabæ Græcæ magnitudine, ex vini cyathis duobus porrigebat ad omnes venenatorum animalium morſus, dolores quoscunque vehementiſſimos, atque vteri ſtrangulatum.

CCCCLXXIII. Quando CAELIVS AVRELIANVS Heraclidem noſtrum vocat poſteriorem atque omnium probabiliorem inter ſuos, videtur deſcribentium vitio excidiſſe vocem: nemini; quæ ante poſteriorem legi debebat. Sed ſi ita omnino ſcripſit, haud recte calculos poſuit. Nam poſt Aſclepiadem ſcripſit Menodotus, cum aliis, quos ſuo loco recenſebimus.

## CAP. X.

### DE MEDICINAE IN TRES PARTES DIDVCTIONE.

CCCCLXXIIII. CORNELIVS CELSVS auctor eſt, poſt tempora Hippocratis, Dioclem Caryſtium, Praxagoram Coum & Chryſippum Cnidium artem medicam ita exercuiſſe, vt etiam in diuerſas curandi vias proceſſerint. Iisdemque temporibus in tres partes medicinam diductam eſſe,

eſſe, vt vna eſſet, quæ victu, altera, quæ medicamentis, tertia, quæ manu mederetur. Primam diæteticam, ſecundam pharmaceuticam, tertiam chirurgicam Græcos nominauiſſe. Hunc locum valde memorabilem aliqui ita intellexerunt, tamquam medicinæ integrum corpus hoc tempore quaſi diſſectum aut diſtractum in tres disiunctas partes fuerit, ita, vt illi, qui diæteticam ſibi elegerant, omnino miſſam facerent medicamentariam & chirurgicam partem: & qui alterutram ex his ſibi colendam deſtinauerant, diæteticam inſuper habuerint ac contemſerint.

CCCCLXXV. Enimuero hoc nec Celſus voluit dicere, nec rei tunc geſtæ conuenit. Diductæ fuerunt hæ partes, hoc eſt, maiori ſtudio & accuratius per ſingulas partes cultæ: quemadmodum flores in ſuo calyce initio contenti & compreſſi iuſto deinde tempore explicantur, diductisque ſuis petalis plene cognoſcuntur. Nam quum antea Aſclepiadæ aliquorum notitia gauderent, ſed admodum anguſta: diæteticam autem partem, quoniam extra templum nemini medebantur, parum curarent; philoſophi autem generalia potius de corporum qualitatibus traderent, quam ſingularia euoluerent: nunc aliqui, toto ſtudio medicinæ incumbentes viri, ſin-

ſingulares ſibi partes eligebant, de quibus eſſent ſolliciti. Ergo aliqui rem cibariam omnem, alii rem herbariam, alii venena, venenorum antidotos alii ſibi deſtinabant ſingularibus libris illuſtranda. Atque rurſum alii ad medicamentorum, tam ſimplicium, quam compoſitorum indagandas vires ſe conuerterunt, deque iis volumina condiderunt. Alii chirurgicam partem vel vniuerſam, vel in particulas quasdam diuiſam, induſtriæ ſuæ exercendæ ſubiecerunt. Atque ſic communicati cum aliis fructus multorum diligentiæ, omnem medicinam ampla acceſſione locupletauerunt.

CCCCLXXVI. Atque non aliter rem ſe habere, apparet ex omni hiſtoria, quam hactenus pertexuimus. Vidimus enim, Hippocratem non magis quam Dioclem, Praxagoram, Herophilum, Eraſiſtratum, Heraclidem Tarentinum, ceterosque empiricos, victum ordinaſſe, medicamenta adhibuiſſe, chirurgiæ opera exercuiſſe, pro eo vtique, ac res & tempus exigebant.

CCCCLXXVII. Ipſum autem Celſum non aliter de hoc negotio ſenſiſſe, locupletiſſimus ſibi ipſi teſtis eſt, variis omnino locis: præcipue autem illo, quem totum adducam. Id ante omnia ſcire conuenit, quod omnes medicinæ partes ita con-

connexæ ſint, vt ex toto ſeparari non poſſint; ſed ab eo nomen trahant, a quo plurimum petunt. Ergo vt illa, quæ victu curat, aliquando medicamentum adhibet: ſic illa, quæ præcipue medicamentis pugnat, adhibere etiam rationem victus debet, quæ multum admodum in omnibus malis corporis proficit. Sic vbi idem de gangrænæ curatione exponit, hæc effatur: præcipueque in hoc caſu petendum non a medicamentis ſolum, ſed etiam a victus ratione, præſidium eſt. Et vbi ſeptimum librum, qui proprie chirurgiæ dicatus eſt, incipit, hæc habet: tertiam eſſe medicinæ partem, quæ manu curet, & vulgo notum & a me propoſitum eſt. Ea non quidem medicamenta atque victus rationem omittit: ſed manu tamen plurimum præſtat.

CCCCLXXVIII. Eſt itaque manifeſtum, quod calculos non recte poſuerint, qui hoc tempore factum perhibent, vt medicus ſibi partem diæteticam, cum iure quaſi architectonico in pharmacopoeum & chirurgum, proprie deſtinauerit: pharmacopoeus curam præparandorum medicamentorum acceperit, chirurgus autem illam prouinciam obtinuerit, vbi aut vulnus aut vlcus accipit, vel ſcalpello facere debet: vt & vbi fracta, diſtorta, dislocataque obueniunt. Quanquam

quam alii chirurgum arctius etiam circumſcribunt, illique nihil relinquunt, niſi vbi ſecandum, vrendum aut reponendum eſt: curam autem omnem vlcerum ac vulnerum, quatenus imponendis emplaſtris, vnguentis, ſanguinem ſiſtentibus, opus eſt, ad pharmaceutam demandent.

CCCCLXXVIIII. Videntur, qui ita ſentiunt, diſpoſitionem librorum Celſi de medicina maxime reſpexiſſe, quorum primi quatuor de diætetica, quintus & ſextus de pharmaceutica, duo poſtremi de chirurgica parte conſcripti ſunt. Sed nulla alia re opus eſt, quam ipſos libros attente legere, vt conſilium auctoris clariſſime adſequamur, quod non fuit vtique, vt determinaret, quid pharmaceutæ vel chirurgo ſuſpicere liceat vel incumbat: ſed ordini dicendorum, & per hunc lectoris memoriæ, conſulere, vt de quauis curatione ſuo loco ipſum inſtrueret.

CCCCLXXX. Hæc quum ita vere comparata ſint; neutiquam negare tamen velim, fuiſſe olim iam aliquos, qui, interiorum morborum curatione aliis relicta, chirurgiæ ſoli exercendæ ſeſe traderent, aut omnino vni parti ample patentis chirurgiæ, vt calculis exſcindendis, aut oculorum tractandis morbis, totos ſeſe conſecrauerunt. Sed talem umquam fuiſſe chirurgum, qui cauterium applicaret,

aut

aut inciſionem faceret, fracta luxataque reponeret, ac deinde eſcharæ procurationem, ſanguinis ſiſtendi vulnusque deligandi curam, & quibus alias porro ad plenam ſanationem opus eſt, pharmaceutæ traderet, id vero nemo ex vetuſtate vlla, minime autem omnium ex CORN. CELSO, probauerit.

CCCCLXXXI. Ceterum rem medicamentariam valde creuiſſe, quibusque ex cauſis id factum videatur, iam attigimus. Seorſim venenorum atque eorum ſingulis opponendorum alexipharmacorum doctrinam haud minimum fuiſſe cultam, vel ex eo apparet, quod iam Eraſiſtrati ætate grandes illæ compoſitiones theriacales cenſuram eius prouocauerunt. Sed non propterea intermiſſum eſſe ſtudium hoc, infra commodius oſtendemus.

CCCCLXXXII. Iam tunc fuiſſe pharmacopolas, a medicis diſtinctos, docet nos Theophraſtus Ereſius, vbi de Thraſya pharmacopola refert, quem a ſuo diſcipulo Alexiade, integram medicinam edocto, diſtinguit. §. 409. Atque idem de EVDEMO Chio refert, eum pariter pharmacopolam fuiſſe, potuiſſeque vno die viginti potiones ellebori albi in publico adſumere, absque eo vt ſemel cogeretur a mercibus ſuis, in foro proſtantibus, diſcedere. Ex quo diſcimus, pharmacopolas

las tunc fora frequentaſſe, tabernas ſuas habuiſſe, atque, vt emtores allicerent, ſuarumque mercium fiduciam facerent, ad oſtentationes eiusmodi deuenire iam ſolitos fuiſſe, quales apud agyrtas noſtri temporis paſſim obſeruantur. Vocabantur ἀγυρταὶ, itemque ὀχλαγωγοὶ, quod populum nugis ſuis allicere ſolebant, vt & ἐπιδίφριοι, ſellularii, quod in foro apud merces, ceterorum inſtitorum ritu, ſedebant.

CCCCLXXXIII. Medicis & pharmacopolis inſeruiebant herbarii, ῥιζοτόμοι, qui forte etiam ſellularii fuerunt, ſuasque merces, ſed nihil præparatas, per fora venum expoſuerunt. Has varias de herbis & radicibus fodiendis colligendisque obſeruationes habuiſſe; quarum aliqua ad vanam oſtentationem aut impias ſuperſtitiones redeunt, idem auctor nos edocet: qui de eo paſſim, præcipue autem, vbi de mandragora agit, videndus eſt.

CCCCLXXXIIII. Atque hi videntur vegetabilia domi & in propinquo naſcentia medicis ſuppeditaſſe. Reliquas autem merces, præſertim e longinquo aduehendas, ſeplaſiarii ſufficiebant, a quibus etiam tinctores, pictores, aliique artifices & opifices, repetebant, quibus opus habebant. Neſcio an his temporibus antiquis, & apud Græcos vel Alexandrinos, licitum illis fuerit, etiam præparata & compoſita diuendere.

dere. Plinii æuo rem ita habuiſſe, multumque fraudis ibi committi ſolitum fuiſſe, ex graui eius querela intelligitur. Diſerte commemorat, medicos ex ſeplaſia pridem iam facta emplaſtra & collyria, tabem mercium, mercari: quum deberent, quod priſci ſolebant, medicamina ſibi ipſis conficere, hocque ſibi proprium ducere.

CCCCLXXXV. Sed de herbariæ & pharmaceuticæ rei conditione antiquiſſima hæc ſufficiant. Subiungemus aliquos chirurgos, ab Heraclide Tarentino apud Galenum laudatos, quos ab hac ætate, quam hactenus tractamus, non eſſe multum remotos, certe non iuniores, indubium eſt. Diſcipulis eius, quia priores eſſe ſolent, quos magiſtri citant, non licuit adnumerare: præceptoribus autem vel eiusdem ſectæ viris addere non licuit, ſilente hiſtoria. Quatuor ſimul laudat adſertores, quod femoris elapſi articulus reponi & retineri poſſit, EVENOREM, NILEVM, MOLPIDEM & NYMPHODORVM. Nileum præter chirurgiam ſtuduiſſe pharmaceuticæ rei, argumento eſſe poteſt a Galeno & Celſo laudatum & commendatum malagma. ORIBASIVS plinthium eius, id eſt, machinam tractoriam, ab figura quadrata oblonga dictam, commemorat.

CCCCLXXXVI. NYMPHODORVS

apud Celſum etiam laudatur, ob inuentas machinas luxatis partibus idoneas; eſtque apud Oribaſium deſcriptio gloſſocomi ab ipſo inuenti. Quod a re medicamentaria non alienus fuerit, docent eius paſtilli, a veteribus crebro laudati, ex auripigmento, calce viua & ſandaracha, quibus diſſolutis & in anum iniectis ad dyſenteriam crebro vtebantur.

CCCCLXXXVII. Incertior eſt ætas illorum, quos Celſus laudat: videntur tamen potius huius ætatis aliqui eſſe, quam omnes recentiores: quare illos ſubiungam. Ita autem ſcribit: In Aegypto quoque chirurgia increuit, Philoxeno maxime auctore, qui pluribus voluminibus hanc partem diligentiſſime comprehendit. Gorgias quoque & Soſtratus & Herones & Apollonii duo, & Ammonius Alexandrinus, multique alii celebres viri, ſinguli quædam repererunt. Idem quoque alibi inter eiusdem ordinis viros Protarchum laudat.

CCCCLXXXVIII. Atque de Apolloniis quidem iam ſupra §. 469. nos excuſauimus, propter homonymiam plurium virorum: de AMMONIO illud vnicum ſingulare ſcimus, Celſo etiam docente, quod lithotomus appellatus a nouo inuento fuerit. Scilicet calculos maiores, quos niſi rupta veſicæ ceruice extrahere quiſquam poſſet, ſin-

findere docuit. Modum iuuabit apud Celſum relegere. Ad cruſtam inurendam ac ſanguinem ſiſtendum ex ſandaracha, auripigmento, chalcitide & calce compoſitionem fecit, apud Aetium conſeruatam: quæ argumento eſt, quod chirurgicis operationibus maxime deditı rem medicamentariam haud neglexerint.

CCCCLXXXVIIII. GORGIAM, SOSTRATVM & HERONEM in curatione herniæ vmbilicalis ſeorſim citatos a Celſo inuenimus. Vtinam ſcripta virorum, aut ampliora ex illis excerpta exſtent, quæ nos ætatem & merita ipſorum docerent. De herniarum certe curatione ab illis tentata, vt & calculorum exciſione, ſatis maſculis operationibus, vix antiquiorem memoriam inuenimus.

# CAP. XI.

## DE MEDICINAE GRAECANICAE APVD ROMANOS ADVENTV.

CCCCLXXXX. PLINIO teſte nouimus, primum e medicis veniſſe Romam Peloponneſo ARCHAGATHVM, Lyſaniæ filium, anno vrbis ıɔxxxv. Tanto vtique tempore, quod PLINIVS binis locis nu-

mero rotundo vocat ſexcentos annos, Roma ſine medicis Græcis quidem fuit, ſed non potuit eſſe ſine medicina aut medicis. Operæ itaque pretium faciemus, ſi paulo curatius perpendemus, quali medicina fuerit ante Græcanicam vſa: fueritne tanto tempore ſine medicis, qualibusque illis inſtructa fuerit.

CCCCLXXXXI. Hiſtoriæ Romanorum nos edocent, morbos publicos multos & grauiſſimos ſubinde fuiſſe in populum graſſatos; tumque patres reipublicæ ad religionem confugiſſe, atque aliquas ſacras ceremonias inſtituiſſe: ſiue vere credentes, deorum iram his flecti, ſiue populi patientiam ſuſtentaturi & ſpem erecturi illud fecerunt. Illud certe manifeſtum eſt, quod rectores reipublicæ voluerint publice credi, & morbos a diis ſuis immitti, & ſeorſim publicos illos, quos epidemios vocamus. Certe non ſine publica auctoritate fieri potuit, vt febris pro deo coleretur, fanumque, quin plura per vrbem fana, ei erigerentur: quod fide grauiſſimorum teſtium eſt indubium. Sed & priuatis morbis ſui erant auerrunci. Ne Syluanus deus per noctem ædes ingrederetur & puerperas vexaret, tres deæ, Intercidona, Pilumna & Deuerra, colebantur.

CCCCLXXXXII. Si peſtilentia graſſaretur,

tur, pontifex maximus piacula iræ deum conquirere iubebatur: decemuiri libros Sybillinos inſpiciebant, atque ex illis medelam inueſtigabant. Tunc fere Apollini, Aeſculapio, Saluti dona vouebantur, ſupplicationes valetudinis cauſa edicebantur, lectiſternia diis fiebant, ludi ſcenici peragebantur, tandemque clauus dextro lateri ædis Iouis O. M. figebatur: cui ritui dictator ſeorſim creari debebat. Hæc dum populi ducendi cauſa fiebant, opera dabatur inueniendis & emendandis cauſis domeſticis epidemiorum morborum: paludibus exſiccandis, ſtagnantibus aquis per incilia deriuandis, cloacis ædificandis, quibus vrbi ſalubritas redderetur.

CCCCLXXXIII. Sic A. V. CCCXXI, ædes Apollini pro ſalute & valetudine populi vouebatur, & A. V. CCCCLX. Aeſculapius Epidauro Romam, miſſa ſollemni legatione, accerſebatur. Scilicet ſignum eius & anguem, in quo ipſum numen eſſe credebant, naui apportauerunt: cumque in inſulam Tiberinam anguis egreſſus eſſet, ibidem Aeſculapio ſedem conſecrauerunt. Cultum eius, Epidauri a peritis exceptum atque allatum, VALERIVS MAXIMVS refert. Ex quo colligimus, ab eo tempore, quo Aeſculapius Romam accitus venit, fuiſſe etiam cultui eius conſecratos ſacerdo-

 do-

dotes, atque adeo medicinæ Græcanicæ vetuſtiſſimæ aliquam ibi partem receptam & ſtabilitam. Sed quales illi ſacerdotes fuerint, quidque in templo fecerint, a veteribus prætermiſſum eſt. Docti quidam viri Illuiros valetudinarios, ſiue valetudinis tuendæ, ex numis Aciliæ gentis eruerunt: quibus forte etiam cura Aeſculapii colendi commiſſa fuerit: ſed non potuerunt omnibus perſuadere, quod vmquam talis magiſtratus in vrbe fuerit, aut quod numus ita explicari debeat.

CCCCLXXXXIIII. Quod Aeſculapius in inſula Tiberina, perinde vt apud Epidaurios, cultus fuerit, videntur nobis perſuadere poſſe apud GRVTERVM exſtantes tabulæ votiuæ, quibus inſcriptum eſt, quid auxilii cauſa Aeſculapius ſuggeſſerit. Hæ autem, ſiquidem vere in templo Aeſculapii Romæ fuerunt quondam appenſæ, & ex ruderibus eiusdem erutæ, illud ſaltem docent, aliquo tempore Romam habuiſſe homines, qui Aeſculapium, non alio ritu, quam Græci ſolebant, opis conſequendæ cauſa, frequentauerunt. Antoninorum tempore ſuſpenſas fuiſſe, ex ipſa ſcriptura patet. Sed quod Græcis litteris & vocibus exaratæ ſunt, ſuſpicionem mouet eas potius a Græcis in vrbe degentibus, quorum magna ſemper copia fiat, quam a Romanis, fuiſſe dedicatas.

CCCCLXXXXV.

CCCCLXXXXV. Sunt, qui cauſam Aeſculapio minus honorificam allegant, quare factum ſit, vt non in ipſam vrbem deduceretur, ſed extra pomœria collocaretur eius templum. Enimuero mihi non licet vllam contemtus ſuſpicionem in Romanos coniicere, qui honorifice petitum & impetratum numen extra vrbem hoſpitio exceperunt. Imitati ſunt in eo Epidaurios, a quorum vrbe Aeſculapius quinque millia paſſuum remotus habitabat. Omninoque vtilius vrbi videbatur, ſi numen, ad quod ciuibus æque ac ceteris perfugium in morbis dabatur, potius extra mœnia habitaret, quam in media vrbe. Forte in plerisque Græciæ vrbibus Aſclepiea extra vrbem fuerunt poſita.

CCCCLXXXXVI. Vidimus Romam ante Archagathi aduentum medicina Græcanica, antiquiſſimi inſtituti, pridem impletam; ſcilicet Apollinem & Aeſculapium, medica vtique numina, habentem cum ſuis ſacerdotibus. Vix autem fieri poſſe videtur, vt vrbs tam propinqua populis & vrbibus, quæ omnes a Græcis ortæ erant, iamque Romanis parebant, nihil traheret ab eorum moribus. Quam prope abfuit Neapolis, vrbs Græci moris omnisque elegantiæ tenaciſſima, & Romanis, ex quo ſemel ipſis ſubiecta fuit, gratiſſima, vt plurimi ſemper in ea

viuerent, qui mores vitamque Græciæ cupiebant noſcere? Ea a Rhodiis, Phœbo dicatis & Aeſculapio addictis, originem traxit. Ne dicam vlteriores Italiæ, quæ magna Græcia quondam dicebatur, vrbes & populos, a quibus medicina ad Romanos æque facile pertingere potuit, quam de philoſophia Pythagorica, ad reges Romanorum iam peruagata, perhibetur.

CCCCLXXXXVII. Medici certe, cuiuſcunque inſtituti fuerint, Romæ fuerunt A. V. CCLXXXII. quoniam in ſæua peſtilentia tunc graſſata, teſte DIONYSIO HALICARNASSENSI, contra medicamenta, aliaque morborum præſidia, & leuamina, contumax fuit deprehenſa. Tanto clarius illud elucet in ea peſtilentia, quæ A. V. CCCI. vrbem depaſta eſt: quum, eodem teſte, nec medici in tanta ægrotantium multitudine ſuffecerint, nec domeſticorum atque amicorum miniſteria: vnde factum fuit, vt multæ domus deſolarentur, ob curantium inopiam.

CCCCLXXXXVIII. Fuere itaque ante Archagathi Peloponneſii aduentum vtique medici, etſi non omnino conuenientes cum ceteris Græcanici inſtituti. Scilicet iam ſupra ſignificauimus, quantopere dubii ſimus in admittendo, quod illa,

illa, quam laudauit Galenus, ſchola Italica cum Græcanicis omnino conuenerit. (§. 140.) Multa autem notatur conuenientia medicinæ, quæ ante Archagathum Romæ fuit, cum illa ab Pythagoreis deducta. Crebro vidimus viros Pythagoreos braſſicæ plurimum tribuentes. Iam audiamus PLINIVM de ea diſſerentem: braſſicæ laudes longum eſt exſequi, cum & Chryſippus medicus priuatim volumen ei dicauerit, per ſingula membra hominis digeſtum: & Dieuches: ante omnes autem Pythagoras & Cato non parcius celebrarint. Cuius ſententiam vel eo diligentius perſequi par eſt, vt noſcatur, qua medicina vſus ſit annis Ioc. Romanus populus.

CCCCLXXXXVIIII. Hunc PLINII locum eleganter omnino ſic effert alter PLINIVS, qui VALERIANVS cognomento dicitur: Cato tradit, populum Romanum ſexcentis fere annis medicina braſſicæ vſum: nondum enim in vrbem commeauerant medici, qui in artem redegerunt, quemadmodum magno ſanitas conſtet, & peregrina ſecum pigmenta attulerant, vt illis imponerent precia, quæ vellent. Ceterum militares viri glorioſas cicatrices gratuito olere curabant, eodem horto cura vſi ad ſalutem, dum illos paſcit & ſanat.

Iↄ. Apparet, credo equidem, ſexcentos illos annos, quibus Romani medicis caruerunt, non rigide & accurate numerandos eſſe: Plinium illos a feruido, & in Græcos æſtuante, Catone accepiſſe: atque medicis & medicinis externis vrbem caruiſſe ad Archagathi aduentum, dicere voluiſſe: non illis, qui, Pythagoreorum ritu, obuiis & diæteticis vterentur, abſtinerent autem a maſculæ medicinæ & chirurgiæ præſidiis. Atque hæc omnia moribus Catonis congrua dici, nihilque dubitationis habere, porro oſtendendum eſt.

IↄI. Ante vero, quam adhanc indagationem deſcendamus, quærere oportet de illis ſexcentis annis, per tot libros decantatis, quibus populus Romanus medicis caruit, non quod nemo eſſet, qui artem exercere vellet, ſed quod ſenatus conſulto quodam medici Roma arcerentur. Hanc fabulam adeo ſecure admiſſam mireris, vt & medici eleganter docti eam ſine examine admiſerint, magnoque niſu elaborauerint, vt oſtenderent, nullam ex hoc tam longo exſilio ignominiam in medicorum ordinem redundare debere.

IↄII. En tibi elegantiſſimi ALMELOVENII verba, quæ incautiori exciderunt: medicina, culpa ſeueri illius Catonis, paulo

lo ſerius ad Romanos peruenit. Ille enim lege cauerat, ne medicus Græcus, aut Arabs Aegyptiusque intraret vrbem. Hæc lex ſeueriſſime eſt obſeruata ad annum V. C. Iↄxxxv. quo Archagathus Lyſaniæ F. primus ex Peloponneſo Romam venit. Etſi vero hic fabuloſi illi ſexcenti anni non diſerte commemorantur, includit tamen ille ſermo multa temporum rationibus repugnantia & nullo pacto comprobanda.

IↄIII. Non dicam, quam inconcinnum ſit, quod Arabes medici hoc tempore indicantur, quibus aditu vrbis interdictum fuerit. De Catone certe, auctore legis huiusmodi in medicos latæ, quæque vsque ad Archagathi aduentum obſeruata ſit, omnia ſunt falſa. Quo enim anno ille aduentabat, Cato puer erat XV. admodum annos natus, qua ætate ipſum leges rogare aut perferre non potuiſſe manifeſtum eſt. Non opus eſt hic notare alios doctiſſimos viros, qui aperte prodiderunt, ſe credere, fuiſſe talem legem a Catone profectam & per ſexcentos annos deinceps obſeruatam: quod ſi ita eſſet, duratio eorum infra Conſtantini M. tempora demum finiretur, totis ſæculis poſt mortem Plinii, ex quo male intellecto ſexcenti iſti anni fuerunt confícti. Iam vero ſole clarius eſt, illo poſt

Ca-

Catonem æuo non ſolum medicos infinitos Romæ fuiſſe, ſed ciuitate etiam donatos & prærogatiua annuli aurei exornatos.

IↃIIII. Congruum huic loco videtur, diſpicere de M. CATONE, iam toties dicto. Is vir non modicæ inter ſuos auctoritatis, triumphum & cenſuram, apices illos honorum, quos res publica dare poterat, conſequutus, cupiditate diſcendi & omnia pernoſcendi flagrabat non minus, quam odio & inuidia erga vniuerſos Græcos, quos Italia omni pellendos cenſebat. Mores viri ample deſcripſit, qui vitam & facta eius conſignauit, PLVTARCHVS. Enimuero iracundiæ eius numquam conſenſerunt ceteri patres Romani populi, quorum multi clariſſimi viri Græcorum patroni erant, eorumque res tuebantur.

IↃV. Hic Cato commentarium aliquem reliquit ad filium ſuum, quo commemorat, quali medicina vſus in ſe & coniuge, filio & familia vniuerſa fuerit. Ex hoc & PLINIVS & PLVTARCHVS nobis excerpta quædam dederunt, quibus de ratione, quam in tuenda & reparanda valetudine vſus ſit, certiores reddimur. Nemini ægroto ieiunium indixit, ſed oleribus, carnibus anatum, palumbis aut leporis eos nutriuit. Hanc victus

ra-

rationem facilem eſſe & commodam laborantibus, niſi quod multa edentibus in ſomnis apparerent. Quod de oleribus hic ex Plutarcho retuli, de braſſica ſeorſim ex Plinio illuſtratum eſt. §. 498. Verum non hanc ſolam æſtimatam ab eo fuiſſe, pluribus Plinii teſtimoniis diſcimus: quo auctore noſcimus, quod primus & diu ſolus Romanorum fuerit, qui herbarum vſum attigit.

IↃVI. Sed non intra herbas ſolum ſtetiſſe medicinam Catonianam, verum etiam quod verbis, id eſt, incantationibus, multum tribuerit, diſcimus ex libro eius ſuperſtite de re ruſtica, vbi ad luxa aut fracta reſtituenda carmen longum, verbis multis ſenſu carentibus conſtans, præſcribit, omnemque ritum adminiſtrandi totam curationem edocet. Quæ ſingula Pythagoricam medicinam apertiſſime produnt; vt iure concludamus, antiquiſſimos in vrbe & populo Romano medicos ex illa ſchola fuiſſe: adeoque Romam non medicis caruiſſe, ſed medicis Græci inſtituti, qui magis efficacia artis præſidia, tam pharmaceutica quam chirurgica, adhibebant.

IↃVII. Sed nunc videndus eſt nobis ipſemet ARCHAGATHVS, & qua fortuna apud Romanos vſus fuerit, commemorandum eſt. PLINIVS ſic de eo ſcri-

ſcribit ex CASSIO HEMINA: ei ius Quiritium datum, & tabernam in compito Acilio ob id publice emtam eſſe. Vulnerarium eum tradunt fuiſſe vocatum, mireque gratum aduentum eius initio: mox a ſæuitia ſecandi vrendique tranſiſſe nomen in carnificem & in tædium artem omnesque medicos. Neque plura de hoc viro a quopiam commemorata mihi occurrerunt.

IↃVIII. Quod Romani medicinam efficacem & maſculam initio abhorruerunt, id tribuendum eſſe medicinæ ſegniori Pythagoreorum, cui adſueuerant, modo dixi, & res videtur manifeſta. Eademque Romanorum mollities videtur effeciſſe, vt plurimi, qui poſt Archagathum Romam petierunt, medici Græci, genio gentis ſeſe accommodarent, & duriora ægrotis imperare vel adhibere dediſcerent. Quare poſt longum tempus in hac vrbe Eraſiſtrateos potiſſimum inuenimus, aliosque id genus medicos, qui obſequio beneuolentiam & lucrum captabant. Neque tamen omnes æque timidos fuiſſe, ſed mature etiam admiſſos ab aliquibus fuiſſe medicos vulnera maſcule infligentes, docere poteſt C. Marius, de quo PLVTARCHVS auctor eſt, quod, quum haberet vtrumque crus varicum plenum, & deformitate offendere-

deretur, præbuit ſe medico curandum, atque non ligatus alterum crus exhibuit, neque mouit ſe vel ingemuit, ſed vultu immoto pertulit dolores in ſecando intolerandos. At vero, quum inde medicus ad alterum crus tranſire vellet, detrectauit illud porrigere, cauſatus non tanti eſſe emendationem, vt eius cauſa dolores tantos perferret. Contigit hoc annis admodum quinquaginta poſt M. Catonis obitum.

IↃVIIII. Archagathum ſponte ſua Romam veniſſe, & illico iure Quiritium donatum eſſe, vt & taberna publico ære emta: hæc omnia perſuadent, & liberum & honeſtum virum fuiſſe, quem dignum Romani tanto fauore æſtimarent. Longeque plures eadem ætate illuc veniſſe, &, ſi non illico conſequerentur ciuitatem, vt infiniti alii inter peregrinos libere vixiſſe & negotia ſua curaſſe vero ſimile eſt. Fuerunt tamen, qui non ſine feruore aliquo contenderent, medicos olim Romæ ſeruili fuiſſe conditione. De quo argumento quum olim ſæpius, & noſtra ætate iterum diſputatum ſit, doctique viri palam profeſſi ſint, nullum ante Cæſarum tempora Romæ medicum fuiſſe, qui non ſeruus, aut libertus aut peregrinus fuerit: haud alienum a meo inſtituto fecero, ſi hanc quæſtionem hoc loco

loco, vbi medicina Romanorum ante Cæſarum ætatem conſideranda eſt, cum aliqua cura tractauero.

IↃX. Seruos medicos in Græcia infinitos fuiſſe, a longo iam tempore, ſæpius dixi, nec omiſi oſtendere vnde, illa multitudo prouenerit. Quum Romani, bello Macedonico contra Philippum, & Syriaco contra Antiochum feliciter confectis, longe lateque Græca lingua vtentibus populis imperarent, accidit, quod HORATIVS eleganter canit, vt Græcia capta ferum victorem caperet, & artes moresque ſuos agreſti Latio inferret. Erant tunc ſummi viri & in toga ſagoque celeberrimi, quorum ædes perfugium erant Græcis, vbi liberaliſſime habebantur: ſed alii, priſtinæ ruſticitatis tenaciores, ſatius ducebant liberalium artium fructus absque liberalitate percipere.

IↃXI. Hi itaque familiam ſuam inſtruebant magno ære emtis grammaticis, bibliothecariis, architectis, muſicis, pictoribus, aliisque id genus hominibus, quorum conditio inter ſatis liberales ac honeſtiores ab omnibus hodie refertur: hosque venales accipiebant vel bello captos, vel ob æris alieni magnitudinem creditoribus addictos, vel in extrema egeſtate, aut alia quacunque ex cauſa,

ſa, ſemet opulentis & potentibus permittentes. Quocunque modo aliquis in poteſtatem veniſſet, non poterat effugere domini iuſſum, ſi ad ſuam artem, quam noſſet, erudiendos aliquos traderet. Quin liberi homines ſeruos ad artem ſuam plures inſtituebant, vt magno pretio vendere eos poſſent.

IↃXII. Quumque Romani a Græcis illud inprimis acciperent, vt, curulium certaminum, equeſtriumque decurſionum & agitationum amore, diætam gymnaſticam, apud Græcos pridem vſitatam, ſectarentur, quo magnitudinem virium grauitatemque corporis conſequerentur: mature intelligebant, quantum ſibi opus eſſet ſeruis illis medicis Græcorum, qui ad omnia gymnaſiorum munia obeunda, & adminiſtrandam apotherapiam, inſtituti erant. Hincque factum eſt, vt per omnes nobilium domos iſti requirerentur & compararentur, quorum ope non ſolum domini in vilioribus iſtis miniſteriis, frictione, vnctione, balneis vtebantur; verum etiam videntur familiæ valetudinem ipſis aliquando credidiſſe procurandam. Quin imo nihil prohibet credere quod potentiores habuerint ſeruos, vltra communem ſortem ſeruorum medicorum, inſtitutos ad vniuerſam artem, Neque enim

quisquam roganti, & pretium operæ offerenti, Romano nobili facile negauerit ſuum ſtudium in erudiendo & inſtituendo, quem commendauerat, homine, etſi ſeruilis eſſet conditionis.

IↃXIII. Neque ſolum viri ſe indigere tálibus rebantur, verum etiam matronæ quærebant inſtitutas ad ſui ſexus neceſſarios vſus feminas, quæ obſtetricando atque puerperii aliis neceſſitatibus, recensque natæ prolis perita cura, inſeruire poſſent. Atque adeo patet, minimeque diſſimulandum eſt, Romæ quondam, & in omni, quam late patuit, Romanorum republica, ſeruorum ſeruarumque, a medicina nomen trahentium, abunde multum fuiſſe. Enimuero propterea neutiquam concludendum eſt, quod omnes medici ſeruitutem Romæ olim ſeruierint.

IↃXIIII. Scilicet Romæ, a prima conditæ vrbis origine, ita obtinuit, vt ea, quæ liberi homines & ciues agitabant, eadem omnia potentiores per ſeruos cuperent poſſentque efficere: neque vmquam extorqueri illud ſibi paſſi ſunt potentiores, vt collegia, a multis regibus tentata, vmquam firmiter coaleſcerent, ita quidem, vt prohiberi opulentiores poſſent, quo minus, non dicam domi ſuæ, ſeruorum miniſterio vterentur, verum

etiam

etiam integras ſeruorum centurias aliis, qui ædificare vellent, pacta mercede permitterent. Nemo tamen peritus contendet, Romæ fabros omnes fuiſſe ſeruos, quia vnus M. Craſſus quingentos ſeruos fabros habuit, quorum opera, magno ſuo lucro, vſus fuit, ad ædes excitandas, quas deinde aliis venderet.

IↃXV. Vt autem clariſſime intelligatur, quod Romæ, ante Cæſarum tempora, fuerint medici ingenui; non peregrini, ſed ciues: non alio opus eſt teſtimonio, quam quod lex, Cæſarum temporibus omnium confeſſione antiquior, quæque non niſi ciuibus ſcripta eſt, ſuppeditat. Ea autem eſt Aquilia, qua cautum eſt, ſi medicus, qui ſeruum tuum ſecuit, dereliquerit curationem eius, & ob id mortuus fuerit ſeruus, culpæ reus erit. Ibidem quoque actio datur in medicum, qui per imperitum tam medicamentorum vſum, quam inſtrumentorum ſiniſtram applicationem, ſeruum occiderit. Et apud VLPIANVM obſtetrix, quæ medicamentum dederit, vnde mulier perierit, eadem lege teneri dicitur. Manifeſtum hic eſt, & a nemine, ſpero equidem, infirmari poteſt, hæc de medico libero, deque obſtetrice libera, vtrisque autem ciuibus, ita eſſe conſtituta. Si vero tales in vrbe

non fuiſſent, abſurdus vtique fuiſſet legislator, qui talia ſanxiſſet, abſurdi ICti, qui repetierunt & interpretati ſunt.

IↃXVI. Neque ſolum Romam ante Cæſares habuiſſe liberos medicos, ſed illorum vsque adeo in agris & villis fuiſſe copiam, apud M. VARRONEM diſcimus, qui accurate præcipit, quibus villis vtilius ſit, ad certos & neceſſarios vſus, potius habere anniuerſarios vicinos, quibus imperent, medicos, fullones, fabros, quam in villa ipſa alere artifices ſeruos, a quibus fructum illum exſpectent.

IↃXVII. Et ſane miraculo proximum eſſet, ſi Roma medicis ciuibus plena non fuiſſet reddita, ante Cæſarum tempora, quum & lucrandi adeſſet ampliſſima occaſio, & luxuria, quæ medicos plurimos liberaliſſime nutrit & ſuſtentat, longe lateque per illam dominaretur: & ad illud tempus ciuitas Romana infinitis Græcis data eſſet, vt ex CICERONE intelligitur, facileque comprobari ample poſſet, ſi hic locus excurſionem illam permitteret longiorem facere.

IↃXVIII. Antequam Roma diſcedamus, quæ illis temporibus, quibus Cato vixit, plurimum creuit & imperium protulit; non alienum a noſtra hiſtoria videtur, ſi breuiſſime commemoremus

remus aliqua, vnde medicinæ fata etiam pependiſſe videntur. Tunc enim non ſolum Pœni, qui Siciliam tenebant, a Romanis fracti, & Siculi ipſis ſubiecti fuerunt: verum deinceps Macedones etiam fracti in prouinciam redigebantur, Græci autem, quibus antea dominabantur, libertati, vel quaſi, reſtituti ſunt. Atque hæc ante annum vrbis ſexcenteſimum acciderunt; & ab illo tempore Roma Græcis nimis nota eſt facta. Nam quum hæc vrbs fortunas Græcorum omnes regeret; infiniti in illam conceſſerunt: vt viciſſim ex vrbe Roma, litterarum ac cultioris addiſcendi moris cauſa, nobiles ad Græcos abire & aliquanto inter illos tempore commorari ſolebant. Vnde mores & ſtudia cum ipſo Græcorum ſermone in vrbem peruenerunt.

IↃXVIIII. Eodem tempore, quo ſibi Græciam ſubiecerant, Antiochus, rex Syriæ, bello cum Romanis implicitus, ceſſit ipſorum virtuti & potentiæ: ex quo ampliſſimas Aſiæ regiones imperio ſuo adiecerunt. Poſt annum quoque ſexcenteſimum, quum Carthaginenſes tertio bello Punico penitus fracti & deiecti eſſent, non ſolum in Africa ampliſſimas regiones, verum etiam Hiſpaniam vniuerſam acquiſiuerunt. Ex quo

 luxu-

luxuria Romæ tantum etiam creuit, quantum diuitiis & potentia aucti erant ciues: qui nunc priſtinam ſobrietatem & temperantiam abiecerunt, atque adeo in illa, quæ mollitiem & luxum ſubſequi ſolent, morborum varia genera incidebant: quare non mirum eſſe debet, ſi ab hoc tempore medicis plus, quam olim, indiguerunt, atque plures apud ſe habuerunt.

IↃXX. Quum igitur ab hoc tempore Romani ſuorum factorum gloria omnes hiſtorias compleuerint: atque medicinæ etiam ac medicorum fata cum fatis Romanæ reipublicæ implicatas rationes habeant: erunt poſt hac frequentius nobis commemorandi: atque illuſtriores periodos & epochas hiſtoriæ noſtræ, ad hiſtoriæ Romanæ memorabiles periodos alligabimus.

CAP.

# CAP. XII.

## DE MEDICINAE FATIS AB EXCESSV CATONIS AD MORTEM IULII CAESARIS.

IↃXXI. M. PORCIVS CATO, de quo multa diximus, LXXXV. annos natus moriebatur A. V. IↃCV. Ab iſto tempore vsque ad illud, quo C. IVLIVS CAESAR parricidarum pugionibus in curia Romana interiit, CV. anni effluxerunt. Iſto tempore geſta hoc capite comprehendam.

IↃXXII. In Aſia regnum Pergamenorum deſijt in ATTALO PHILOMETORE, qui A. V. IↃCXXI. deceſſit, & populum Romanum heredem ſui regni fecit. Hi ſemper Romanis fidi ac ſocii, magnificentia atque potentia, neque minus felicitate memorabiles ſunt. Galenus de illis refert, quod in bibliothecis condendis æmuli Aegyptiorum fuerint. De vltimo autem eius ſtirpis tam PLVTARCHVS, quam GALENVS refert, quod hortorum culturæ multum fuerit deditus, ſuaque manu omne genus herbarum venenoſarum, atque ſalubrium, plantauerit, vt experiri veras earum vires & poteſtates, quando lubitum eſſet, poſſet. Quod in

in aliis etiam rebus curioſe inquiſiuerit in veritatem eorum, quæ auctores veteres ſcripſerunt, nihilque intentatum huius cauſa reliquerit, idem Galenus teſtatur.

IↃXXIII. Illud quidem eius ſtudium aliqui maligne interpretantur, tamquam humile & rege indignum: alii crudelitatis effectum dicunt, vt poſſet interimere certius, quibus male cupiebat. Enimuero æquius videtur mihi de principe bene ſentire, quum & in metallis fundendis, & imaginibus ex cera ducendis tempus & induſtriam poſuerit. Libros de agri cultura ſcripſit, Varroni & Plinio viſos atque laudatos. Quin medicamenta ab ipſo compoſita a Galeno commendantur & deſcribuntur.

IↃXXIIII. Huius ætate vixiſſe mihi videtur NICANDER Colophonius, grammaticus & poeta doctiſſimus atque elegantiſſimus, ex cuius compluribus operibus ſupereſſe illa, quæ ad medicinam pertinent, merito nobis gratulamur. Scio quidem, ab aliis illum referri ad Attali I. tempora, cui Galatonicæ cognomen fuit, quique centum annis ante Philometorem, fuit. Sed quum videantur illi decepti a SVIDA, qui Galatonicen vocat, ſimulque diſerte iuniorem, qui Romanis regnum reliquit: tanto ſecurius putaui binos, quæ Philometorem deſignant, characteres ſequi

qui, quum etiam anonymus grammaticus, qui vitam operibus ſuperſtitibus præfixam ſcripſit, eosdem characteres ponat, omiſſa Galatonicæ mentione.

IↃXXV. Inſcribuntur autem, quæ ſuperſunt, opera, alterum, θηριακὰ, ſeu de venenis, quæ a noxiis animantibus inferuntur; alterum ἀλεξιφάρμακα, ſeu de venenorum remediis, ſcilicet illorum, quæ ore hauſta fuerunt. Ex deperditis, quorum titulos accepimus, ad medicum argumentum pertinent collectio remediorum, itemque prognoſtica, ex Hippocrate translata. Puto etiam multa, quæ medicum iuuare poſſint, in carmine de re ruſtica, quod Cicero præclarum dicit, fuiſſe poſita, forteque de herbis & floribus ſalutaribus multa continuiſſe: quod colligo ex fragmento longo apud ATHENAEVM conſeruato. Coniicio etiam, illo potiſſimum carmine eum voluiſſe Attalo placere, inque eo fuiſſe poſitam illam προσφώνησιν, quam antiquus grammaticus, vitæ auctor, exhibet.

IↃXXVI. Quin etiam ad bina hæc opera de venenis condenda videtur ab eodem fuiſſe excitatus & adiutus illis experimentis, quæ Attalus, Galeno teſte, ſedulo fecit in hominibus, qui ad mortem condemnati fuerant. Nam quod ipſemet Nicander medicus fuerit, & per ſe talia

experiendi occaſiones habuerit, non inuenio. Fuit enim Apollinis Clarii, qui prope Colophonem oracula edebat, ſacerdos. Forte rogatus & excitatus ab Attalo ad ſcribendum opus acceſſit, adeo vt res acceperit a rege, facultatem poeticam digerendis & exornandis rebus ipſe attulerit. Notabile eſt, quod Galenus regem in hac parte inuentorem nonnullorum facere videtur: reperit, inquit, priuatim quædam phalangiis, quædam ſcorpionibus, quædam viperis aduerſari: item eorum, quæ ad exitiales potiones faciunt, illa aconito, hæc lepori marino, alia alii atque alii veneno remedium eſſe. Quibus verbis tam theriacorum, quam alexipharmacorum omne argumentum includit & denotat.

IↃXXVII. Mirum eſt, quam magni hæc carmina veteres fecerunt: quod apparet ex magno numero, qui commentaria aut paraphraſes in illa dederunt, quorum pars exſtat, pars in bibliothecarum arcanis delitefcit. DIOSCORIDES multum illis adiutus fuit. Sæpe iam vidimus venenorum doctrinæ cultores, vt antiquiſſimas Hecaten, Circen, Medeam §. 69. & Thraſyam pharmacopolam §. 409: ſed qui venena, quæ morſu aut ictu animalium corpori inferuntur,

tur, ſeorſim tractauerit, noxas ſingulorum tradiderit, & remedia ipſis opponenda docuerit, nondum aliquem inuenimus. Omnino itaque videtur hæc pars, quæ & theriaca proprie dicitur, circa hæc tempora primum excoli, aut ad maiorem claritatem deduci cœpta.

IↃXXVIII. MITHRIDATES, rex Ponti, qui cum Romanis bella per xxxx. annos, varia fortuna, geſſit, ipſisque permultas & magnas clades intulit, hoc tempore vixit, circa A V IↃCLXXXX. vita defunctus. Vere magnus princeps fuit, non ſolum bellica fortitudine & felicitate, verum etiam prudentia ciuili, multarum linguarum peritia, & medicinæ diligenti ſtudio. Partem illam de venenis, perinde vt Attalus, magna aſſiduitate coluit, & experimenta ſingulorum tam venenorum, quam ipſis oppoſitorum remediorum, inſtituit in hominibus capitali ſupplicio damnatis: cuius teſtem habemus Galenum iiſdem locis, vbi de Attalo Pergameno loquitur.

IↃXXVIIII. Eiusdem honorificam mentionem facit PLINIVS: maximum ſua ætate regum, atque omnium ante ſe genitorum diligentiſſimum vitæ vocat. Vni ei excogitatum quotidie venenum bibe-

bibere præſumtis remediis, vt conſuetudine ipſa innoxium fieret. Illum ſolum mortalium viginti duabus linguis loquutum certum eſt, nec de ſubiectis gentibus vllum hominem per interpretem appellatum ab eo, annis LVI quibus regnauit. Is ergo, in reliqua ingenii magnitudine, medicinæ peculiariter curioſus, & ab omnibus ſubiectis, qui fuere pars magna terrarum, ſingula exquirens, ſcrinium commentationum harum & exemplaria, effectusque in arcanis ſuis reliquit.

IↃXXX. Pompeius, cum omni regia præda, his etiam commentariis potitus, transferre ea ſermone Romano libertum ſuum LENAEVM, grammaticæ artis, iuſſit: vitæque ita profuit non minus, quam rei publicæ, victoria illa. Qualis illa antidotus fuerit, nouimus eodem Plinio ſic docente: in ſanctuariis Mithridatis, maximi regis deuicti, Cn. Pompeius inuenit in peculiari commentario ipſius manu compoſitionem antidoti, e duabus nucibus ſiccis, item ficis totidem, & rutæ foliis XX. ſimul tritis, addito ſalis grano. Et qui hoc ieiunus ſumat, nullum venenum nociturum illo die. Longe certe ſimplicior eſt hæc Mithridatis antidotus illis, quæ ad nos ab aliis transmiſſæ ſunt,

com-

compoſitionibus. Sed de hoc erit plura dicendi locus.

IↃXXXI. Notandum, quod POMPEIVS LENAEVS, Pompeii Magni libertus, patroni ſui iuſſu, ex ſcriniis Mithridatis deſumta publicauit. Non certe ſolam illam compoſitionem, ſed omnino plura ad vſum vitæ pertinentia: quod ex eo cognoſcitur, quia Plinius aſſerit, ab hoc tempore primum herbarum ſcientiam ad Romanos perueniſſe. Accidit hoc LXXX. admodum annis poſt Catonis exceſſum, vt cognoſcas, quam parum ipſius auctoritas ad repellendam medicinam Græcanicam valuerit.

IↃXXXII. Ante, quam Pompeius Mithridatis imperium euerteret, Romæ floruit ASCLEPIADES, præclariſſimus Græcus, ex rhetore medicus, Pruſia, Bithyniæ vrbe, ortus. Hic Romam venerat, ſi qua Plinio fides, medicinæ rudis, orandi magiſter, nec ſatis in ea arte quæſtuoſus, quare ſe, vt ad alia ſagacis ingenii, ad medicinam repente conuertit, inque ea tantum habuit ſucceſſum, vt non ſolum ipſi homines confiderent, verum etiam vetera fere omnia loco mouere poſſet. Ita iam efflореſcentem Mithridates eum ſollicitabat, vt ex vrbe ad ſe veniret: ſed ſpretis legatis ac pollicitationibus, pro ſe volumina ad ipſum miſit.

IↃXXXIII. Atque ob hoc iure putat Pli
nius ſe indignari Aſclepiadi, quod hom
ex leuiſſima gente, ſine vllis opibus orſus
qui numquam id egiſſet, vt medicinam di
ſceret, aut remedia noſſet, oculis vſuqu
percipienda, vectigalis ſui cauſa repent
leges; ſalutis humano generi dare auſu
fuerit. Quo autem artificio conſequutu
fuerit, vt omnes in ſe circumageret, no
alio modo, quam ſi cælo emiſſus aduenil
ſet: longo ordine apud Plinium com
mendo legendum.

IↃXXXIIII. Si paucis dicendum eſt eiu
artificium, ob oculos ſibi poſuit Archa
gathum, ſeduloque curauit euitare ea, qui
bus ille ſibi odium, & arti tædium, in vrb
orbis domina contraxerat. Excogitaui
igitur ſibi curationes eiusmodi, quas vnus
quisque facile ſibi ipſi præſtare poſſet
ciborum abſtinentiam, alio tempore vini
fricationem corporis, ambulationem, ge
ſtationem. Trahebat præterea mente
artificio mirabili, vinum permittendo æ
gris, dandoque tempeſtiue, cum aquam
frigidam. Alia quoque blandimenta ex
cogitabat, iam ſuſpendendo lectulos, quo
rum iactatu aut morbos extenuaret, au
ſomnos alliceret: iam balineas auidiſſima
hominum cupidine inſtituendo, & alia
multa, dictu grata atque iucunda, magna
auctoritate, neque minori fama.

IↃXXXV

IↃXXXV. Profitebatur, id ſibi ante oculos ſemper eſſe poſitum, vt curet cito, tuto, & iucunde: atque adeo effugere ſtudebat, quicquid ante ipſum medici in vſum vocauerant, cum moleſtia ægrotantium coniunctum. Fauorem quoque & applauſum Aſclepiadi faciebat, quod, quippe Epicureus, vanitates magicas medicorum, qui ante ſe Romæ fuerant, irridebat. Hæc inter fortuna adſpirauit eius conatibus, vt hominem, cuius iam funus apparatum erat, veſpillonibus eriperet, refectumque ad vitam reuocaret: de quo Plinius, Celſus & Apuleius teſtantur.

IↃXXXVI. Summam tandem fidem & famam Aſclepiadæ parauit ſponſio cum fortuna feliciter facta, ne medicus crederetur, ſi vmquam inualidus vllo modo fuiſſet ipſe: & victor, ſuprema in ſenecta, lapſu ſcalarum exanimatus eſt.

IↃXXXVII. Tam celebris nouatoris dogmata propius perſpicere, videtur operæ pretium facturum. Eorum non pauca Galenus, aliqua Celſus, plurima autem Cælius Aurelianus nobis ſuppeditat. Ante omnia Aſclepiades, quo magis præter antiquos medicos ſapere videretur, arripuit philoſophiam corpuſcularem Democriteo-Epicuream: adeoque cauſas ſanitatis morborumque deduxit a diuerſo ſucceſſu cor-

corpuſculorum, manantium per inuiſibilia foramina.

IↃXXXVIII. Omnia itaque ad corpuſcula & poros reuocans, Hippocratem refutauit, cum ſua ſchola, qui naturam quandam intelligentem, diuerſis facultatibus inſtructam, ſtatuere viſus fuerat, qualis non ſolum animalibus, verum etiam plantis omnibus inſit. Hanc omnem naturam exſibilabat Aſclepiades: negabat, dari in rerum natura vim aliquam attractricem: quam ne magneti quidem relinquebat. Naturam intelligentem proſcribenti, prona via erat ad omnem doctrinam de criſi, criticisque diebus, loco ſuo mouendam.

IↃXXXVIIII. Regnum animæ in aliqua corporis parte conſtitutum negabat. Etenim nihil aliud eſſe animam, quam ſenſuum omnium cœtum: intellectum autem occultarum, vel latentium rerum, per ſolubilem fieri motum ſenſuum, qui ab accidentibus ſenſilibus atque antecedenti perſpectione perficitur. Memoriam vero alterno eorum exercitio fieri dicit. Omnia præterea fieri neceſſitate, & nihil ſine cauſa: & neque naturam aliud eſſe, quam corpus, vel eius motum. Denique non ſolum prodeſſe naturam, ſed etiam nocere.

IↃXXXX. Philoſophiæ Aſclepiadeæ hæc

hæc ſunt ſpecimina, quæ non ſolum Epicureum ſapiunt, verum etiam ad Stoicos deflectere videntur. Sed nunc videamus, qualis & quantus in medicina fuerit. Corporis humani ſtructuram rimari neglexit nouus hic Aeſculapius: quod niſi feciſſet, non crediſiſſet vrinam ab inteſtinis ad veſicam, vaporis forma, per poros partium penetrare: nec meruiſſet, cui a doctioribus ſui temporis viris conſuleretur, vt laniones & coquos, meliora edocturos, adiret.

IↃXXXI. De ciborum in ventriculo digeſtione veterum opiniones reiecit, vt vanas & ſuperuacuas, docente Celſo. Nihil enim concoqui, ſed crudam materiam, ſicut adſumta eſt, in corpus omne diduci, tantummodo ſolutam & aptam redditam, quæ per tenues meatus traiiciat. Appetentiam cibi viarum patefactione fieri in ſtomacho atque ventre: eam autem, quæ potum appetit, paruarum viarum cauſa fieri dixit. Præterea excrementa ventris negat eſſe aliena natura: ſiquidem etiam ex ipſis corpora augeantur, quum ſint animalia, quæ ſe ex ipſis ſolummodo nutriunt.

IↃXXXII. Atque hæc nunc de phyſiologia viri huius ſufficiant: pathologia qualis fuerit, ex ſpeciminibus aliquibus cognoſcemus. Illa tota eſt accommodata corpuſculorum manantium diuerſis acci-

dentibus. Sic inflammationem in genere acceſſiuit inde, ſi manantia corpuſcula, per inuiſibilia foramina ſubſiſtendo, iter claudant. Phrenitidem in ſpecie definiuit corpuſculorum talium ſtationem & obtruſionem, ſeu, vt hodie loquimur, ſtaſin & infarctum. Atque ſic omnem affectum inflammatorium a ſtaſi & infarctu deducebat. Stationem fieri aut magnitudinis, aut figuræ, aut multitudinis aut celerrimi motus cauſa, aut viarum flexu, concluſione. Morbos cum dolore coniunctos fieri maiorum corpuſculorum ſtaſi, & tenuiorum ſeceſſu.

IↃXXXXIII. Ex nimis magna pororum amplitudine fieri dixit animi deliquia, languores, extenuationem, hydropes: & hydropem quidem ſeorſim oriri docuit, quando carnes multis exiguis foraminibus tranſudare & effluere nutrimentum ſinant, quod deinceps in aquam mutetur.

IↃXXXXIIII. Febrium intermittentium differentem rationem hanc reddere conatus fuit: typum quotidianum maiorum corpuſculorum ſtatione fieri: cito enim ea exantlari & impleri: tertianum vero minorum ſtatione: quartanum autem minimorum: difficile enim exantlari & impleri poſſunt. Signa autem febrium eſſe feruorem plurimum atque intenſionem pulſus in vehementia: niſi hæc ex aliqua

cau-

cauſa manifeſta fuerint. Statos dies, quos criticos priores medici dixerant, dari negabat.

IↃXXXXV. Sufficiant hæc theoriæ Aſclepiadeæ ſpecimina, quæ ſatis docent, quod Aſclepiades ignorantiæ aſylis veteribus, ex philoſophia Democriteo Epicurea, ſubſtituerit noua perfugia, artem autem medicam reuera parum iuuerit. Vsque adeo ſemper medicinam infeſtauit inſana ratiocinandi, & noua ſyſtemata, ex adſumtis hypotheſibus, compingendi libido.

IↃXXXXVI. Ad praxin Aſclepiadis progredimur, eius etiam ſpecimina daturi. In hac quoque veteribus omnibus per omnia fere contrarius eſſe ſtudebat. Accuſabat illorum medendi methodum, quum mortis meditationem nominare non verebatur. Satis certe multum cauſæ PLINIVS habuit ſcribendi: durabat tamen antiquitas firma, magnasque confeſſæ rei vindicabat reliquias, donec Aſclepiades, torrenti ac meditata quotidie oratione blandiens, omnia abdicauit. Non enim ſolum damnauit vomitiones, tunc ſupra modum frequentes: ſed & medicamentorum potus, vt ſtomacho inimicos, ſuſtulit. Solam tamen venæ ſectionem a medicinalium auxiliorum genere exturbare auſus non fuit: circumſcripſit tamen val-

de vſum eius, neque adhibere permiſit, niſi in illis affectibus, vbi dolores vrgent.

IↃXXXXVII. Tanto autem magis tribuit omnibus rationibus, quibus perſpirabilitas & manantium corpuſculorum liber effluxus promoueri poſſet. Ad hunc iuuandum trium potiſſimum vſum commendauit, vini, geſtationis & frictionis. Sed omnium copioſiſſime de frictione præcepit, voluitque inuentor eius haberi. CORN. CELSVS, quo auctore hoc nouimus, laudandam eius in hac parte induſtriam exiſtimat, quia latius & dilucidius, vbi & quomodo ea vtendum ſit, præcepit: nihil tamen ab eo repertum eſſe, quod non a vetuſtiſſimo auctore Hippocrate paucis verbis comprehenſum ſit.

IↃXXXXVIII. Quamquam Aſclepiades medicamentorum purgantium vſum ſuſtulit, quoniam ſtomacho inimica ſunt; propterea tamen clyſteres non improbauit, etiam acriores, ſeu, vt Cæl. Aurelianus loquitur, operantiſſimos, ſcopo ſcilicet transverſionis faciendæ, hoc eſt, vt nos loqui ſolemus, reuulſionis. Agitur autem illo loco de paſſione cardiaca.

IↃXXXXVIIII. Quod Aſclepiadis curationes vel abſtinentiam iniungendo, vel diætam ſingulis attemperando, potiſſimum abſolutæ fuerint, partim iam diximus. Atque in ea ratione ab antiquioribus

bus in eo potiſſimum recedebat, quod in vino, etiam meraco, concedendo facilli-mum ſe præbebat. Exiſtimabat enim, illud, per tenuiſſimos corporis meatus facillime penetrando, illos aperire, adeoque ſtagnationes & infarctus expedire.

IↃL. Quum Celſus referat de Aſclepiade, quod medicamentorum vſum ex magna parte ſuſtulerit, quoniam ſtomachum fere omnia lædunt malique ſucci ſunt; ideoque ad ipſius victus rationem potius omnem curam ſuam transtulerit: ipſe iam modus adſertionis huius, non omnino abſolutæ, innuit, quod aliquem medicamentorum vſui locum reliquerit. De eo SCRIBONIVS LARGVS ita diſſerit, vt intelligamus, illum in acutis paſſionibus medicamenta eſſe danda negauiſſe. Ceterum in libro ſingulari præparationum eum contendiſſe, vltimæ ſortis eſſe medicum, qui non ad ſingula quæque vitia binas ternasue compoſitiones & expertas protinus paratus habeat.

IↃLI. Et ſane requirenti, annon Aſclepiadis aliqua medicamenta proſtent, mox ab initio operis Galenici de compoſitione pharmacorum obtigit ampla expoſitio de iis, quæ in alopecia curanda Aſclepiades propoſuerit. Cum multa diætetica præmiſiſſet, ſubiungit deinceps varia exterius admouenda. Atque ne putemus, hæc de

alio quodam iuniore Aſclepiade, qui frequenter in eodem opere laudatur, capienda eſſe: diſerte admonet, ſe hæc adducere ex vetuſtiore illo Bithyno.

IↄLII. Quod chirurgiæ ſe immiſcuerit, rarius inuenias commemoratum, & vix niſi apud vnum CAEL. AVRELIANVM, qui binis locis adducit ab Aſclepiade ſuaſam fuiſſe in ſynanche laryngotomiam, quam ipſe ſummopere improbat. Ibidem videtur placuiſſe Aſclepiadi, vt in extremo malo ſcarificatio faucium inſtituatur. Quamquam & in alopeciæ curatione, quam apud Galenum videndam indicaui, ſcarificatio aliqua & cruentatio requiritur.

IↄLIII. Librorum ſatis multorum auctor fuit, quos omnium diligentiſſime indicat & excerpit, vt deinde refellat, CAEL. AVRELIANVS. Sed & CORN. CELSVS atque GALENVS multa ex ipſo adducunt. Cauendum autem eſt apud Galenum, ne nos homonymia fallat: fuerunt enim complures, qui eo nomine fuerunt appellati. Etiam in eo diſpiciendum eſt, nè Aſclepiadeos & Aſclepiadas confundamus: quod a multis fuiſſe factum, facilè comprobari exemplis poſſet.

IↄLIIII. Quod Aſclepiades Romæ cum dignitate & laude vixerit, non ſolum probant honorifica veterum teſtimonia, apud Celſum, Plinium ac Scribonium Largum:

ve-

verum maxime cognoſcitur ex eo, quod Romanorum doctiſſimus orator & philoſophus, M. TVLLIVS CICERO, ſe ipſo amico medicoque vſum fuiſſe teſtatur, ipſique eloquentiæ laudem & teſtimonium tribuit.

IↃLV. Liceret nunc ad viros ab Aſclepiade deductos progredi, niſi memoratu dignus videretur CLEOPHANTVS, cuius, occaſione illius, meminerunt Celſus atque Plinius & vterque ſic quidem, vt intelligas, a Cleophanto Aſclepiadem aliqua accepiſſe. Et CELSVS quidem pleraque huius antiquioris viri præcepta ſequutum Aſclepiadem teſtatur: Plinius autem narrat, quum vini rationem illuſtrauiſſet apud priſcos Cleophantus, hunc noſtrum cognominari ſe frigida danda prætuliſſe; huiusque aſſerti M. VARRONEM teſtem aduocat. Ex quibus duo diſcimus, & antiquum medicum fuiſſe Cleophantum, & vini naturam vſumque diligentius ſcrutatum: quin dando illo ægrotis indulgentiorem, quam priores medici fuerant.

IↃLVI. Cuius autem ſcholæ fuerit, & vbi, quandoque vixerit, nemo veterum reliquit annotatum. Colligitur autem ætas eius Herophilo ſuppar ex eo, quoniam diſcipulus eius MNEMON, temporibus Ptolemæi III. qui Euergetes cognominatur, in Aegypto floruit. Hic Mnemon

Sidetes, a Pamphyliæ vrbe Sida cognominatus, dicitur appinxiſſe tertio Epidemiorum Hippocratis libro illas notas, quæ cuiuis hiſtoriæ ſubiiciuntur: de quarum ſenſu multa olim iam fuit diſputatio.

IↃLVII. Aſclepiades diſcipulos & ſectatores multos habuit, quorum nomina in hoc compendio cumulare nolo, præſertim quum de factis & doctrinis eorum parum conſtet. DIOSCORIDES complures ſimul recenſet, in ipſo limine ſui operis, qui de materia medica ſcripſerunt, ſed parum accurato ſtudio, vtpote qui experientiæ normam abiecerint, inania autem in aſſignandis cauſis verba fundendo, ſingula in controuerſiarum aceruum extulerint. Ex quo colligas, eos phyſicæ ſpeculationi nimium indulgentes, ex corpuſculorum figura, quam gratis ſuppoſuerunt, de | effectibus & virtutibus diſſeruiſſe: quod cacoethes medicinam omni tempore corrupit.

IↃLVIII. Caſſius, Artorius atque Themiſon, nobiles viri in Aſclepiadis ſchola, vixerunt Auguſti æuo: cui eos reſeruamus. Nunc per ſpicilegii modum ſubiungemus aliquos, qui illa, quam tractamus, ætate vixiſſe videntur, etſi non fuerunt Aſclepiadi addicti, aut inter illos a quoquam repoſiti. Cognoſcimus autem, CICERONIS maxime præconio, CRA-

TE-

TERVM, quem etiam alii fecerunt tanti, vt eius nomen pro maximo medico, per antonomaſiam, ponerent. Galenus aliquando meminit alicuius antidoti, quam Craterus compoſuit. Refertur de eodem, quod viperas comedendas ſeruo ſuo dederit, cui caro putreſcens ab oſſibus defluebat. Romæ ipſum vixiſſe, non Athenis, ex magna illa fama, quam inter Romanos obtinuit & conſeruauit, intelligimus.

IↃLVIIII. Eiusdem Ciceronis præconio celebrantur ALEXION, cuius mortem acerbe luget, ASCLAPO Patrenſis, quo ſe familiariter vſum, ipſiusque artem familiæ ſuæ ſalutarem expertum ſe prædicat: & NICON, quem de polyphagia ſcripſiſſe teſtatur.

IↃLX. CRATEVAM, Græcum ῥιζοτόμον, id eſt, herbarium, tam Dioſcorides laudat, quam Plinius, qui ipſum coniungit cum Dionyſio & Metrodoro, incertæ ætatis viris: quanquam vltimum ipſi Hippocrati ſupparem, ni omnino maiorem, perhibent. Dicit de his triumuiris Plinius, quod rem herbariam blandiſſima ratione docuerint, ſed qua nihil pene aliud, quam rei difficultas intelligatur. Pinxere namque effigies herbarum, atque ita ſubſcripſere effectus. Hunc autem noſtrum Crateuam vixiſſe circa Mithridatis tempora,

 inde

inde colligimus, quoniam Mithridati vnam, teſte Plinio, adſcripſit, plantam, Mithridatiam vocatam. Qui epiſtolis Hippocrati tributis fidem habent, neceſſario debent duos Crateuas ſtatuere, quorum alter ſit Democrito & Hippocrati coæuus, noſtroque trecentis admodum annis antiquior.

IↃLXI. Finimus tandem in ſummo viro, cui diuina prouidentia munus illud dedit, vt Romanæ reipublicæ, cui libertas iam inutilis erat, grauiſſimis morbis mederetur moderatiſſima monarchia. Eſt is C. IVLIVS CAESAR, toga ſagoque clariſſimus heros, cuius virtutes alii prædicent, quibus res totius humani generis Romanique imperii curæ ſunt. Medicina tanto heroi æternas gratias habet, quod omnes medicinam Romæ profeſſos, cum liberalium artium doctoribus, quo libentius & ipſi vrbem incolerent, & ceteri appeterent, ciuitate donauit. SVETONIVM huius rei teſtem habemus locupletiſſimum. Non autem de aliis, niſi liberis hominibus, qui inter peregrinos adhuc degebant, intelligenda hæc ciuitatis donatio debet: non enim congruit inſtituto Cæſaris, qui volentibus imperare cupiebat, eiusmodi conſilium, quo cuiquam eriperet, quod ſuum erat. Manſerunt itaque cuique, quos habebat, ſerui ſui medici, qui

num-

numquam deſierunt Romæ eſſe, vsque ad illud tempus, quo ſero tandem ſeruitus omnis ſublata eſt.

## CAP. XIII.

### DE MEDICINAE FATIS SVB AVGVSTO.

IↃLXII. Quum diuus IVLIVS coniuratorum pugionibus in ipſa curia interficeretur, quod idibus Martiis A. V. IↃCCX. patratum eſt, OCTAVIVS CAESAR, Atia, ſororis Iulii filia, genitus, & teſtamento Iulii adoptatus, annos vitæ admodum XX. habebat. Contendendum illi erat cum æmulis, M Antonio & M Lepido, per quatuordecim annos, quibus hi triumuiri rei publicæ conſtituendæ ſe inuicem atteriuerunt: donec vnus ſupererat Octauius, AVGVSTI nomine deinde appellatus, qui per ſolidos XXXXIII. annos ſolus imperauit, & A. V. IↃCCLXVII. mortalium rebus exemtus eſt. Apparet igitur, hanc periodum, a diui Iulii obitu ad diui Auguſti exceſſum, annos LVII. complecti. Illa autem medicina non minus, quam Romana respublica, valde effloruit, vt abunde multa, de quibus ſtrictim dicam, ſuppetant.

IↃLXIII. Atque, vt de externis prius expedia-

pediamus, STRABO geographus, qui Augusti temporibus ſcripſit, commemorat, ſua ætate prope Laodiceam in Phrygia fuiſſe ſcholam magnam, medicinæ Herophileæ operam nauantium, a ZEVXIDE gubernatam, & deinde ab ALEXANDRO Philalethe. Subiicit deinde, patrum ſuorum temporibus Smyrnæ Eraſiſtrateorum ſcholam fuiſſe, præſide HICESIO: ſed addit: nunc nihil ſimile euenit. De Zeuxide ex Galeno colligimus, quod Tarentinus fuerit, & Hippocratem commentariis illuſtrauerit. Smyrnæi aliquem huius nominis numo honorarunt, qui noſter videtur doctiſſimo numorum in medicorum honorem cuſorum editori MEADIO. De Alexandro, amatore veri, Theodorus Priſcianus adnotat, quod Aſclepiadis diſcipulus fuerit. Hiceſium Plinius non paruæ auctoritatis medicum vocat. De alimentorum materia, & de vini conditura ſcripſit. In hunc etiam cuſi Smyrnæorum numi bini ad nos peruenerunt.

IↃLXIIII. Non obiter notandum eſt, quod Alexander Philalethes, Aſclepiadis diſcipulus, in Aſia medicinæ profeſſor factus fuit. En rerum mutationem. Roma, cui Cato medicos Græcos tantopere diſſuadebat, centum forte annis interiectis, academia medicorum iam facta eſt, vnde prodierunt, qui Græcas gentes medici-

nam

nam docerent. Dici enim non poteſt, quod forte in Bithynia degentem Aſclepiadem Alexander audiuerit: quum is demum Romæ ad medicinam animum appulerit.

IↃLXV. Ceterum Aſclepiadis ſchola ſub Auguſti initiis adhuc florebat: forte etiam ipſemet Aſclepiades, ciuitate medicis donata fruens, ſuperuixit. Nam ad conſpicuam ſenectutem perueniſſe dicitur. Inter diſcipulos eius a Cælio Aureliano refertur ARTORIVS, quem Plutarchus Marci prænomen geſſiſſe teſtatur. Hic Auguſto medicus & familiaris erat, ipſumque monuit, ne in prælio ad Philippos commiſſo, quantumuis ægrotus, in caſtris maneret. Hæc res quum ex euentu cognoſceretur ſalutem Auguſti conſeruaſſe, Artorio multum gratiæ & honoris attulit. Sed poſt Actiacam pugnam A. V. IↃCCXXII. naufragio periit Artorius: quem Smyrnæi cenotaphio honorarunt: de quo ſingularis CAR. PATINI commentarius proſtat. Scripſiſſe eum de hydrophobia, ex laudato Cæl. Aureliano nouimus.

IↃLXVI. Cum hoc Artorio multi confuderunt ANTONIVM MVSAM, Auguſti medicum, qui, illo conſeruato, magnam ſibi ipſi famam, omni autem medicorum ordini decus comparauit. Illam cu-

curationem factam eſſe, cum Auguſtus XI. conſul eſſet, DIO CASSIVS annotauit. Ille autem conſulatus, in quo Calpurnium Piſonem collegam habuit, incidit in A. V. Iↄccxxxii. quo Artorius iam ante x. annos naufragio perierat. Auguſtus tunc, ſua & omnium perſuaſione, ad extrema erat iam deductus, cum ad curationem adhibitus Antonius Muſa, priorum medicorum inutili methodo conſiderata, contraria ipſum medicina curauit, ſibique & reipublicæ reddidit.

IↄLXVII. In quo contraria illa medicina fuerit, non omiſſum fuit a veteribus. Dio enim nobis commemorat balnea frigida & frigidas potiones. Scilicet, Plinio docente, Muſa & Euphorbus fratres inſtituerunt a balneis frigida multa corpora adſtringere. Addit idem de vſu ciborum refrigerantium, & ſeorſim lactucæ, teſtimonium his verbis: diuus certe Auguſtus lactuca conſeruatus in ægritudine fertur, prudentia Muſæ medici.

IↄLXVIII. De conditione huius Antonii Muſæ Dio clariſſime ſcribit, quod libertus fuerit. Forte alicuius ex Pomponia gente, quæ hoc Muſæ cognomen habuit: & a quo Auguſtus illum ſibi familiarem fecit. Vir fuit certe doctus, qui peritiam ſuam in arte medica ſcriptis pluribus libris comprobauit. Seorſim Galeni teſti-

teſtimonio inter illos floret, qui rem medicamentariam perite illuſtrarunt: omninoque multa ab ipſo deſcripta commemorantur variis a Galeno locis.

IↃLXVIIII. Exſtat hodieque libellus ipſi tributus de betonica, quo vires & vſus huius plantæ indicantur. Vix aliquis credet, illum, qualis hodie legitur, ex Auguſteo ſæculo & a manu Antonii Muſæ eſſe profectum: vnde ab aliis ad Appuleium auctorem refertur. PLINIVS, apud quem conſtanter ſcribitur Vettonica, denominatam ſcribit a Vettonibus, Hiſpaniæ populis; ante cunctas laudatiſſimam eam dicit. Multis locis de viribus eius ample diſſerit. Idemque auctor laudat Cantabricam, per diui Auguſti tempora a Cantabris in eadem Hiſpania repertam. Addit: nec alias defuere Hiſpaniæ herbis requirendis: vt in quibus etiam hodie in numeroſo & lætiore conuictu, potionem e centum herbis mulſo additis credidere ſaluberrimam ſuauiſſimamque: nec quisquam genera earum iam nouit aut multitudinem: numerus tamen conſtat in nomine.

IↃLXX. Digna nunc res videtur, quam commemoremus, quanta præmia conſequutus Antonius Muſa fuerit, quum Auguſtum a morbo liberaſſet. De eo DIO CASSIVS ita ſcriptum reliquit: hanc ob rem pecunia ei multa ab Auguſto & ſenatu,

vſus-

vſusque annuli aurei datus eſt; immunitasque non ipſi tantum, ſed omnibus eandem artem exercentibus, non tunc modo, ſed in poſterum tempus conceſſa. Addit SVETONIVS: medico Antonio Muſæ, cuius ope ex ancipiti morbo conualuerat, ſtatuam ære collato iuxta ſignum Aeſculapii ſtatuerunt.

IↃLXXI. Medici, qui ante Antonium Muſam Auguſti morbum curauit, nomen ex Appuleio eruit, & apud PLINIVM poſuit HARDVINVS, in cuius editione ſic legimus: diuus certe Auguſtus lactuca conſeruatus in ægritudine fertur, prudentia Muſæ medici, cum prioris CAMELII religio nimia eam negaret. Non improbabilis videtur illa correctio, quum & ſcriptus codex, in quo camelus ibi legitur, fidem eius adſtruat: & Camelii nomen in inſcriptionibus apud GRVTERVM, & in numo apud me legatur. Quod autem illud forte Artorii cognomen fuiſſe coniicit: placere propterea non poteſt, quia Artorius ante illum Auguſti morbum iam multis annis naufragio perierat. §. 566.

IↃLXXII. MVSAE frater erat, non minus celebris medicus, EVPHORBVS, qui Iubæ, Mauritaniæ regi, medicinam faciebat. De hoc Iuba PLINIVS: IVBA Ptolemæi pater, qui primus vtrique Mauritaniæ imperauit, ſtudiorum claritate memo-

morabilior etiam, quam regno, prodidit, in Atlante gigni herbam, euphorbiam nomine ab inuentore medico ſuo appellatam: cuius lacteum ſuccum miris laudibus celebrat in claritate viſus, contraque ſerpentes, & venena omnia, priuatim dicato volumine. Alio loco hæc habet: Iubæ volumen quoque exſtat de ea herba, & clarum præconium. Antea dixerat, inuentorem plantæ Iubam eſſe, eumque Euphorbiam nominaſſe, medici ſui nomine. Non minus itaque Rex, quam medicus ipſius in noſtra hiſtoria recenſendi fuerunt. Sed de euphorbio ſucco ſunt, quibus cognitio eius antiquior videtur: de quo hic diſputandi non eſt locus,

IↃLXXIII. Auguſto confirmati imperii fundamentum erat victoria, quam A. V. IↃCCXX. ab Antonio ad Actium nauali prælio reportauerat, vbi aduerſus omnes æmuli ſui & CLEOPATRAE, Aegypti reginæ, ſociæ & coniugis Antonii, vires depugnauerat. Altero deinde anno Auguſtus cum claſſe Alexandriam appulit, vrbemque cepit: quo imminente Cleopatra ſibi exitum vitæ veneno parauit, incertum an aſpidis morſu in ſe irritatæ, an acus venenatæ punctura: vtrumque certe apud hiſtoricos legitur. Auguſtus, qui viuam reginam in triumphum ducen-

dam capere optabat, Pſyllos fruſtra adhibebat, qui venenum exſugerent, quum iam temporis mora nimis eſſet profunde inſinuatum humoribus.

IↃLXXIIII. Hæc regina fuit Ptolemæorum laudatiſſimæ ſtirpis vltima propago: femina, quæ in medicinæ hiſtoria commemoretur, non indigna. Non enim ſolum Mithridati multarum linguarum peritia parum cedebat: verum etiam ſtudio venenorum & antidotorum vires cognoſcendi nihil ipſi inferior. Singulare de ea PLVTARCHVS refert, quod veneficia amatoria calluerit, iisque Antonium corruperit, vt ſe perdite amaret. Curioſitatis phyſicæ non imperita fuit, quoniam precioſiſſimam & fere inæſtimabilem margaritam, auri ſuæ detractam, in cœna diſſoluit, vt ebibi poſſet. Neſcio tamen, quam recte propterea chemicorum ordini inſeratur. Factum tamen id eſſe patet, quoniam libri chemici, tamquam ab ipſa ſcripti, laudantur.

IↃLXXV. Quin & alii ipſi tribuuntur libri ad muliebres morbos & ad coſmeticam artem pertinentes. Priores exhibentur in gynæciorum collectione Baſileenſi: ex poſterioribus aliqua ſubinde citant Galenus & Aetius. Sed priorum genuinitati parum videtur eſſe tribuendum.

IↃLXXVI.

IↃLXXVI. Cleopatræ occaſione nobis commemorantur duo medici Alexandrini, GLAVCVS & PHILOTAS Amphiſſenſis: quorum vltimus apud CELSVM adducitur. Etiam OLYMPVS Cleopatræ medicus celebratur, conſilii eius de morte ſibi conſciſcenda particeps. Eiusdem temporibus in Aegypto vixit quidem DIOSCORIDES, cognomento PHACAS, a faciei lenticulis, dictus. Hic eiusdem fuit inſtituti cum iuniore Dioſcoride Anazarbenſi: vnde iam olim fuere ſæpius confuſi. Phacæ autem illius nihil hodie ſupereſt; de Anazarbenſe inferius dicemus.

IↃLXXVII. Inter Aſclepiadis diſcipulos, qui Romæ vixerunt, maxime memorabilis eſt THEMISON, Laodicea Syriæ ortus, qui tantam famam nactus eſt, vt non ſolum nomen eius per antonomaſiam pro maximo medico poneretur: verum etiam potuerit in ſenectute ſua vrbem, quam Aſclepiades in ſua placita traxerat, in ſe circumagere, & nouæ ſectæ auctor fieri. Quare meretur vtique, vt non obiter de ipſo diſpiciamus. De ipſo CELSVS noſter ait: Ex Aſclepiadis ſucceſſoribus Themiſon nuper ipſe quoque quædam in ſenectute deflexit. Quod ſi itaque admittamus, quod plures ſcribunt, ipſum ſuperſtite adhuc Pompeio auditorem Aſclepia-

dis fuiſſe: facile potuit ante finem Auguſti ſenex haberi & decedere.

IↃLXXVIII. De vita & fatis eius parum inuenimus. Summum auctorem Plinius vocat, quo loco commemorat, quod damnauerit vina factitia ex aromatibus, aceto item & melle cocta. De dogmatibus igitur erit exquirendum, quæ omnium clariſſime & breuiſſime exhibet CORNELIVS CELSVS: nullius cauſæ notitiam quicquam ad curationes pertinere: ſatisque eſſe, quædam communia morborum intueri. Et quidem horum tria genera eſſe, vnum adſtrictum, alterum fluens, tertium mixtum. Nam modo parum excernere ægros, modo nimium: modo alia parte parum, alia nimium.

IↃLXXVIIII. Hæc autem genera morborum, modo acuta eſſe, modo longa: & modo increſcere, modo conſiſtere, modo minui conſueuiſſe. Cognito igitur eo, quod ex his eſt, ſi corpus adſtrictum eſt, digerendum eſſe: ſi profluuio laborat, continendum: ſi mixtum vitium habet, occurrendum ſubinde vehementiori malo. Et aliter acutis morbis medendum, aliter vetuſtis: aliter increſcentibus, aliter ſubſiſtentibus, aliter iam ad ſanitatem inclinantibus.

IↃLXXX Horum obſeruationem medicinam eſſe, quam ita finiebat, vt quaſi viam

viam quandam, quam μέθοδον Græci nominant; eorumque, quæ in morbis communia ſunt, contemplatricem eſſe contendebat Ac neque rationalibus ſe, neque experimenta tantum ſpectantibus annumerari volebat: quum ab illis eo nomine diſſentiret, quod in coniectura rerum latentium negabat eſſe medicinam: ab his eo, quod parum artis eſſe in obſeruatione experimentorum credebat.

IↃLXXXI. Hæc ſunt ſumma capita medicinæ Themiſonis, quam iam ſenex excogitauit, vt faciliorem breuioremque artem diſcentibus faceret. Atque ſic fundamenta iecit ſcholæ methodicæ: quæ a diſcipulis & ſectatoribus eius magis fuit exculta. Illi enim longius, quam præceptor præiuerat, progreſſi, multa ſubtilius excogitauerunt, & non raro eius errores correxerunt, tamquam erroribus Aſclepiadis adhuc implicati, & ob rudimentum temporis methodici, ſectæ rigorem non aſſequuti: qua excuſatione ipſum CAEL. AVRELIANVS dimittendum cenſuit.

IↃLXXXII. Quoniam igitur methodica ſecta nondum ſuam formam & perfectionem hoc Auguſteo æuo adepta erat: de illa alio tempore curatius referam: nunc de Themiſone aliqua ſubiungam. Profitebantur poſteriores methodici,

multa in Themiſonis praxi fuiſſe ab Aſclepiade accepta: dediſſe eum aquam frigidam bibendam poſt venæ ſectionem, purgationes adhibuiſſe, vt aloen & dacrydion: tempora dandi nutrimenti non accurate obſeruaſſe: etiam in ſanguine mittendo, ſcarificando & ſanguiſugis applicandis non minus ſæpe a iuſto talium adhibendorum tempore aberrauiſſe. Atque huius generis plura a CAELIO AVRELIANO notata legimus.

IↃLXXXIII. Monet DANIEL CLERICVS, antiquiorem aliquem medicum, qui ſanguiſugas adhibuerit, vix inueniri: forteque illud tunc primum a medicis in vſum fuiſſe vocatum auxilii genus, poſtquam in hominibus plebeiis, quibus per aquas euntibus ad pedes hæſerant, ſanguinemque extraxerant, cognitum fuit, non ſine fructu illud aliquibus ceſſiſſe. Galenum nullibi, in vllo, qui indubiæ genuinitatis ſit, libro earum mentionem iniicere: quum apud methodicæ ſectæ ſcriptores frequentiſſime occurrant: ex quo forte non iniuria colligas, illum contemſiſſe remedium. quod homines, quos non probabat, primum in medicinam induxerant.

IↃLXXXIIII Singulare eſt, quod de ipſo commemoratur, eum, vel demorſum aliquando a cane rabido, vel diutius cum ami-

amico laborante, iamque aquam reformidante verſatum, in hydrophobiam incidiſſe, & poſt multos tandem cruciatus euaſiſſe. Volentem poſtea morbi eius curationem tradere, non potuiſſe: nam quoties ſcripturus de morbo cogitaret, continuo in eundem ſe relabi intelligebat. CAEL. AVRELIANVS nullum antiquiorem de curatione eius tractaſſe aſſerit: quanquam ipſius paſſionis meminerunt. Sed quum illico ſubiiciat, qualia Democritus in ea ſuaſerit: intelligendus ſic erit, quod ad methodicæ ſcholæ mentem nemo docuerit eius percurandi rationes.

IↃLXXXV. Multorum librorum auctor fuit, ex quibus C. AVRELIANVS frequenter aliqua adducit. Præter illos de celeribus tardisque paſſionibus, epiſtolarum complures libros edidit: itemque ſalutaria inſcriptum, & periodicum, quem iuuenis exaraſſe dicitur. Celebrauit etiam, Plinio teſte, vulgarem herbam plantaginem, tamquam inuentor, volumine de ea edito.

IↃLXXXVI. A morte Themiſonis noua eius inuenta manſerunt quidem, ſed acres defenſores & propagatores non videntur habuiſſe, vsque ad Neronis principatum. Celebrantur eius duo diſcipuli, EVDEMVS, qui ſub Tiberio adulterii cum

Liuia Druſi Cæſaris, atque ipſius Druſi, veneno ſublati, cædis auctor arguebatur; ac propterea tormentis ſubiectus fuit: & VECTIVS VALENS, qui Meſſalinæ, Claudii coniugis, corruptor perhibetur. Quorum ætas, etſi noſtram periodum excedit: putaui tamen hoc loco tantum attingendos, præſertim quod parum inuenio in laudem eorum adferendum.

IↃLXXXVII. Inter Aſclepiadis ſi non auditores, tamen inter dogmatibus eius addictos, referri debet CASSIVS, quem Cornelius Celſus ingenioſiſſimum ſui ſæculi medicum vocat. Vna cum Celſo vixit, videturque vterque ſuperſtes Auguſto fuiſſe, & ad Tiberii imperium perueniſſe. Superſunt hodieque problemata medica, quæ Caſſio iatroſophiſtæ inſcribuntur: qui titulus, vt ſit recentior, ipſe tamen liber nihil habet, quod non hanc ætatem & Aſclepiadis diſcipulum arguat. Reſponſiones enim ad quæſtiones propoſitas datæ ad pororum diuerſas conditiones & particularum differentiam plerumque redeunt. Videas ipſum iam methodicorum meminiſſe, & ab iis ſeorſim ſentire. Nam ſomnum denſare illis viſum fuerat; Caſſius autem illum potius laxare exiſtimat.

IↃLXXXVIII. Sunt inter illa problemata certe non contemnenda quædam, ex qui-

quibus ſi non aliud, illud certe licet diſcere, quod illis iam temporibus obſeruata fuerint. Sic quæſiuit, qui fiat, vt vapor carbonum capitis dolorem grauitatemque inferat, fumus autem ex lignis ardentibus idem non faciat. Dicit, ligna ardentia humiditatem quandam coniunctam habere, quæ ex ipſo fumo indicetur: hanc autem humiditatem potius laxare quam conſtringere: ſed illam ex carbonibus ſuccenſis prouenientem ſiccam caliditatem condenſare. Ne igitur noceat ille vapor, ſubinde adſperſo modico vino impediri poſſe. Omnis hæc reſponſio videtur methodicæ ſcholæ placitis propior, quam Aſclepiadeæ. Sed & alicubi, vbi Aſclepiadis ſententiam propoſuit, ſuam ab ea diſſidentem ſubiungit: vt agnoſcamus virum libere ratiocinantem, & neutiquam vnius in verba magiſtri iuratum: qualem etiam Cornelio Celſo mentem fuiſſe palam perſpicimus.

IↃLXXXVIIII. Praxeos eius ſpecimina ex modo dicto Celſo attingam: febricitanti cuidam & magna ſiti affecto, cum poſt ebrietatem eum premi cœpiſſe cognoſceret, aquam frigidam ingeſſit. Qua ille epota, quum vini vim miſcendo fregiſſet, protinus febrem ſomno & ſudore diſcuſſit. Recenſet etiam hic, & Galenus,

vt & Scribonius Largus, aliquam eius compoſitionem colice dictam, quia ad coli dolores & inflammationem mirifice valet. Conſtat ex carminatiuis, & opio cum croco & piperibus. Etiam antidotus quædam aduerſus toxicum epotum præcipue valens, ſed & ad ceteros dolores & tormenta commodum.

IↃLXXXX. Idem Scribonius commemorat Caſſii ſeruum Atimetum, a quo, legato Tiberii Cæſaris, veram colicen Caſſii acceperit. Obſcurum eſt, quid ſibi velint verba: legato Tiberii Cæſaris. Expeditiſſimum mihi videtur, quod & Lipſio placuiſſe video, Caſſium morientem ſeruum hunc ſuum Cæſari legauiſſe, vt rectius legeremus: legato Tiberio Cæſari. Nam quod ſerui Cæſarum ad ampliſſimarum rerum curam promoti fuerint, ſæpe quidem legimus, nouimusque eorum diſpenſatores & procuratores ampliſſimis prouinciis & regnis fuiſſe præfectos: ſed legatorum dignitatem vllum quondam accepiſſe, haud facile aliquis videtur mihi probaturus. Si vero propoſita coniectura non improbanda videtur, certo ſatis colligimus, Caſſium vitam ad Tiberii principatum produxiſſe.

IↃLXXXXI. Diſpiciemus nunc de CORNELIO CELSO, quem iam toties nomine ſuo laudauimus, quem ſummi viri, BACO de

de VERVLAMIO, prudentem virum, non ſolum medicum, & ROBERTVS BOYLE, iudicioſiſſimum appellauit: & eiusdem nationis haud mediocris medicus IOANNES FREINDIVS principem inter Latinos ſalutauit, haud mediocris ingenii; quem ſi quis ex rhetorum ſcholis profectum, & dicendi potius quam medendi artificem putauerit, næ is in re medica ſe parum eſſe intelligentem arguit: quum, qui artem hanc noſtram penitius callent, illum non ſermonis elegantia magis, quam curandi peritia, inſignem ſentiant.

IↃLXXXXII. De hoc viro ex recentioribus aliqui turbauerunt, qui, ſub Tiberio forte natum, ad Traiani æuum pertigiſſe ſcripſerunt: quorum ſententia fere centum annos infra ſuam ætatem detruditur, nulla idonea ratione, & contra grauiſſimorum auctorum teſtimonia, ipſiusque hiſtoriæ documenta. Nam quum Plinius, qui VESPASIANO TITO iam ſexies conſuli, id eſt A. V. IↃCCCXXX. opus ſuum dedicauit, Cornelium Celſum ſubinde citet inter auctores ſuos, & adferat, quæ hodieque apud eum leguntur: Traianus autem ante A. V. IↃCCCL. ad imperium non peruenerit: apparet ſane, minimum viginti annis iam exſtitiſſe Celſi ſcripta ante Traiani initia.

IↃLXXXXIII. Porro, quum Plinius teſte-

ſtetur de IVLIO GRAECINO, quod in iis, quæ de vineis præcepta ſcripſit, Cornelium Celſum transſcripſerit: Iulius autem Græcinus, ſenatorii ordinis, ſtudio eloquentiæ ſapientiæque notus, iis virtutibus iram Caii Cæſaris meritus, ab eo interfectus ſit, TACITO teſte: hoc ſane intelligitur factum eſſe ante A. V. IↃCCLXXXIII. quo ipſe Caligula occiſus fuit. Ergo ante hunc annum iam ſcripſerat Cornelius Celſus, vt ex eo transſcribere poſſet Iulius Græcinus. Ex quo apparet, quam longe ab ætate Traiani fuerit.

IↃLXXXXIIII. Vt autem clariſſime cognoſcatur, quod vna cum Auguſto vixerit Cornelius Celſus, indubia, vt equidem puto, argumenta hæc ſunt. Ipſemet prodit, Themiſonem nuper quædam in ſenectute deflexiſſe ab Aſclepiadis noua medicina: PLINIVS autem, quod ſupra vidimus, Aſclepiadem ſub Pompeio, diu ante Mithridatem deuictum, mutaſſe medicinam, ac Themiſonem auditorem habuiſſe, teſtatur, qui, quæ inter initia ſcripſit, illo mox recedente a vita ad ſua placita mutauit: quemadmodum Themiſoniana mutauit Antonius Muſa. Manifeſtum itaque eſt, Themiſonis ſenectutem ante principia Auguſti computandam eſſe, aut ſaltem cum illis debere coniungi. Cumque Aſclepiades, vt ex Ciceronis de oratore libris,

bris, qui A. V. IↃLXXXXVIII, ſcripti ſunt, intelligitur, ante illum annum iam obiiſſet: Celſus autem Themiſonem ita commemoret, vt cognoſcas, illum ſuperfuiſſe atque nuper mutationem inſtituiſſe: de Muſa autem omnino nihil adducat: ex his omnibus intelligitur ſane, viuente ac florente Auguſto eum ſcripſiſſe, & male calculos ſuos poſuiſſe, qui terſiſſimum auctorem ad ætatem Latinitatis argenteam detruſerunt.

IↃLXXXXV. Apud auctores, Plinium, Columellam & Quinctilianum, nomine non alio, quam Cornelii Celſi laudatur: ſed in editis fere ſemper Aurelius adiicitur: quod non omnibus probatur. In Aldinis Aulus vocatur: quod videtur minus incommodum: Cum Aurelius atque Cornelius ambo ſint familiarum nomina: diuerſarum autem familiarum nomina vni homini coniungere, aut ex nomine gentis, quale Aurelius eſt, prænomen facere, antiquitati repugnat.

IↃLXXXXVI. De patria etiam & profeſſione Celſi ambigitur: Romanum plerique dicunt: alii Veronenſem fuiſſe contendunt. Sed maiori contentione quæſitum fuit, ipſamne artem medicam Celſus exercuerit. Qui affirmant, nituntur aliquibus locis, vbi propriæ experientiæ ſuffragium adferre videtur. Qui negant, vrgent

gent potiſſimum illud, quod Plinius tot locis, vbi noſtrum inter Auctores ſuos ponit, conſtanter illum a medicis ſeiungit: & quod idem Plinius, quo loco Romanos, qui medicinam attigerunt, nominibus ſuis ponit, noſtri mentionem nullam iniicit: potius adſerat, quod Romani ſuam grauitatem dedecere profeſſionem medicinæ exiſtimauerint.

IↃLXXXXVII. Tandem etiam Celſi πολυϊςορησίαν conſiderare iubent, ex qua eluceat, quod polygraphus fuerit, & de multis artibus ac ſcientiis libros condiderit: quas omnes eum exercuiſſe & profeſſum eſſe vix quisquam ſibi perſuadere poſſit. Nam quum eſſet vniuerſæ naturæ conſultus vir, Columellæ elogio, non ſolum de re ruſtica & medicicina libros condidit, verum etiam de re militari, de rhetorica: forte quoque de iurisprudentia & hiſtoria. Adeoque putant, illum otio ſuo liberaliter vſum, & diſcendi cupiditati ſuæ ſeruientem, bonos auctores omnis generis euoluiſſe, & cum peritis verſando ac colloquendo eorumque artis opera conſiderando, tantum profeciſſe, vt poſſet de ſingulis ita commentari, vt lectores illum ſciſſe illa omnia crederent.

IↃLXXXXVIII. Ex omnibus Celſi operibus ad nos bono fato peruenerunt de medicina octo libri, quanquam non in-

teger-

tegerrimi: magnam enim in libro quarto lacunam eſſe & antiqui aliqui editores appoſito ſigno notauerunt, & clariſſime ex antiquo codice manu ſcripto oſtendit vir celeberrimus MORGAGNVS, qui etiam, quæ capita deſint, accurate notauit. vtinam cetera illæſus manſiſſet, & non critica temeritate paſſim corruptus: quæ labes recentioribus editionibus, a centum annis procuratis, magis quam vetuſtioribus inſedit.

IↃLXXXXVIIII. Minus digna de Celſo iudicant, qui ipſum tantummodo interpretem Hippocratis eſſe volunt: qui non conſideraſſe videntur, quam diſerte tam multos Hippocrate poſteriores laudet, quidque a ſingulis acceperit, ingenue profiteatur. Quin vna præfatio, quam integro operi præmiſit, ſatis declarat, quam longe a ſectaria puſillanimitate abfuerit. Suo ſcilicet iudicio vſus vndiquaque adſumſit, quæ cum ratione conuenire, & experientiæ reſpondere cognouerat. Ex Hippocrate ea, quæ ad morborum cognitionem & præſagia pertinent, potiſſimum eſſe deſumta, res ipſa loquitur. Eundem etiam in chirurgia plerumque ſequitur, niſi vbi pleniores magiſtros adire neceſſarium fuit, in illis, quæ Hippocrates aut omiſit, aut iuſto breuius expoſuit. Sed in doctrina de criſibus & cri-

ticis

ticis diebus Hippocratem deſerit, perſuaſum habens, quod antiquos tunc celebres numeri Pythagorici fefellerint: medicus vero non numerare dies debeat, ſed ipſas acceſſiones conſiderare, & ex his coniectare, quid & quando agendum ſit. Idque ſe facere dicit exemplo Aſclepiadis, cui ſe multum tribuere non diſſimulat. Quod autem a Themiſone etiam aliqua acceperit, manifeſtum eſt ex ea ratione curandarum febrium, quam libro tertio poſuit.

IↃC. Primis quatuor libris docet, tum quomodo ſanis degendum ſit; tum vero maxime, quomodo morbis per victus rationem ſubuenire deceat. Quinto ac ſexto pharmaceuticam medicinæ partem exſequitur: indicando in primis ſimplicium facultates, deinde compoſita tradens: hinc ſpeciatim, quomodo externis corporis malis & læſionibus, vt vulneribus, vlceribus, oculorum vitiis, ſuccurri debeat. Septimo ad chirurgiam venit, docetque, quomodo ſcalpello in manu auxilium ægrotis ferre conueniat, ſi noxa ſit in partibus mollibus: octauo oſſium vitia tradit, & quomodo fractis luxatisque debeamus ſuccurrere.

IↃCI. Plura ex Celſo adferre, tam doctrinæ quam practicorum præceptorum ſpecimina, vetat capitis, quod iam longius ex-

excurrit, menſura, & diſſuadet illa fiducia, qua credo ſingulos medicinæ cupidos Celſum diurna nocturnaque manu terere: quod facere neminem poenitebit, ſiue rerum pulchritudinem & varietatem, ſiue terſæ & antiquam caſtitatem redolentis latinitatis elegantiam aliquis conſectetur.

IↃCII. AEMILIVS MACER, Veronenſis, Virgilio Maroni ætate ſuppar poeta, de herbis, de ornithogonia, & theriaca ſcripſit, & ſubinde apud vetuſtos laudatus eſt. Sed operum eius nihil ad nos peruenit. Nam ille, qui exſtat ſub Aemilii Macri nomine, multis ſignis cognoſcitur tanto auctore & tam polito ſæculo indignus. Sæpe citat Plinium & ex eo ſua deſumit. Id opus eſſe ODONIS medici docent antiqui codices, quibus hoc nomen præſcribitur, qui nec poeta, nec bonus verſificator fuit.

IↃCIII. Ad Auguſteam ætatem referre oportet etiam SERVILIVM DEMOCRATEM, quem plerique DAMOCRATEM appellant; de quo PLINIVS ſcribit, quod in valetudine Conſidiæ, M. Seruilii Conſularis filiæ, omnem curationem auſteram recuſantis, diu efficaciter vſus fuerit lacte caprarum, quas lentiſco paſcebat. Iam vero hic M. Seruilius in faſtis inuenitur conſul fuiſſe A. V. IↃCCLV. At

vero dubium de ætate haud exiguum exſurgit, quum Galenus poſt Andromachum & Menecratem noſtrum floruiſſe teſtetur, & Plinius alio loco de inuenta & verſibus eius illuſtrata planta iberide, tamquam de re nuper geſta, ſcribat. Vix aliud ſuccurrit expediundæ difficultatis remedium, niſi vt Seruilium illum putemus conſulem forte ſuffectum, qui temporibus Plinio propioribus vixerit.

IↃCIIII. Vt Auguſti ætate inferiorem putemus, facit etiam, quod Plinius ipſum ait fuiſſe e primis medentium; quibus verbis circumſcribi archiatrum exiſtimo. Atqui iſtiusmodi appellatio nondum videtur fuiſſe inuenta illo tempore. Sed ne repeti infra debeat, ſubiiciam hic, quæ de ipſo porro dicenda ſuperſunt. Scripſit multa, præſertim de re medicamentaria, verſibus Græcis: atque inter plura compoſitionem Mithridatii, quæ hodieque parandæ huius antidoti norma habetur. Exſtant hi verſus apud GALENVM, de antidotis ſecundo. Sed apud eundem etiam eiusdem plures, & inter hæc theriaca legitur: de qua ita præfatur; ea autem verſibus iambicis, vt mos hominis fuit, eſt deſcripta, commoditatemque hanc habet, vt non ſolum memoria facile contineri, ſed nec in rerum pondere ac ſymmetria peruerti poſſit.

IↃCV. Incertæ ætatis medicus PHILO TARSENSIS hoc caput claudat, qui pariter, vt prior, morem illum tenuit, vt medicinas verſibus deſcriberet. Inter plura, quæ paſſim commemorantur, eius medicamenta, eminet ab nomine eius dictum Philonium, φιλώνειον: cuius deſcriptionem verſibus elegiacis comprehenſam dat GALENVS. Opium in illa antidoto corrigitur adiecto purgante euphorbio, quemadmodum in theriaca antagoniſtam ſcillam habet. Quoniam autem in fine carminis, quo toto, poetarum more, ænigmatice & translatis verbis loquutus eſt, ſcribit ita ſecum Triccæ progeniem facere, id eſt medicos, qui Aeſculapium artis ſuæ auctorem colunt: hinc factum puto, vt aliqui Philonem noſtrum ex Aſclepiadis Triccenſibus genus duxiſſe perhiberent, eumque hac ætate longe ſuperiorem perhiberent: &, quod conſequitur, euphorbium negarent ab Euphorbo, Iubæ medico, §. 572. nomen accepiſſe, ſed antiquius putarent, ab heroe, qui circa Troiana tempora floruit, appellatum. Enimuero plus puto ſubeſſe fundatæ rationis, qua ipſum Democrati æqualem faciamus, quam ad ſuperiorem ætatem reiiciamus.

# CAP. XIIII.

## DE MEDICINAE FATIS AB EXCESSV AVGVSTI AD MORTEM HADRIANI.

IↃCVI. Quum AVGVSTVS rebus humanis intereſſe deſierit A. V. IↃCCLXVII. HADRIANVS autem A. V. IↃCCCLXXXXI. mortalium negotia agitare & dirigere ceſſauerit; facile colligitur, nobis hoc capite centum & viginti ac quatuor annorum tempus exhibendum eſſe. Quod quum minime fuerit ſterile, ſed ſane multas in arte ſalutari mutationes attulerit: illa quidem, quæ ad hiſtoriam pertinent, continuo filo contexam. Quoniam autem de methodica medicina pluſcula erunt adferenda; & de pneumatica pariter diſpiciendum amplius erit: his per modum appendicis ſingulare caput deſtinabo.

IↃCVII. Poſt Auguſtum, & ante Neronem principem, Roma habuit medicos, quos PLINIVS recenſet, celeberrimos Caſſios, Calpetanos, Arruntios, Albutios, Rubrios. Ducena quinquagena H S annua mercede iis fuere apud principes. Q. vero Stertinius imputauit principibus, quod

quod H. S quingenis annuis contentus eſſet: ſexcena enim ſibi quæſtu vrbis fuiſſe numeratis domibus oſtendit. Par & fratri eius merces a Claudio Cæſare infuſa eſt: cenſusque, quamquam exhauſti, operibus Neapoli exornata, heredi H. S. ccc. reliquere: quantum ad eam ætatem Arruntius ſolus. Exortus deinde eſt Vectius Valens, adulterio Meſſalinæ Claudii Cæſaris nobilitatus, pariterque eloquentiæ aſſectator: qui eam potentiam nactus nouam inſtituit ſectam.

IↃCVIII. Horum, ſuo quidem æuo ſatis celebrium, nulla exſtat memoria, niſi forte Caſſius hic ille intelligendus eſt, de quo modo dicebamus. Nec de conditione ipſorum dicere quicquam licet. Diuitiæ ſunt ſatis grandes. Annua merces ducenorum & quinquagenorum ſeſtertiorum efficit ſupra XV. millia florenorum Rhenanorum: illa autem pecunia, quam Arruntius atque Stertinii fratres heredi reliquerunt, vncialium numorum nongenta millia & XXXVII. millia cum quingentis efficiunt. Enimuero non omnibus tantas affluxiſſe opes, ſed iis tantum, qui ſe callide poterant hominum moribus componere, & potentiorum fauorem captare, vero faciunt ſimile illorum temporum hiſtoriæ. Certe Galenus ſuo tempore, quum Romæ degeret,

geret, profitetur ſe ſcire multos pauperes eſſe medicos.

ↃↃCVIIII. Sed mittamus hæc, vt ad medicinæ propiora veniamus. Vixit his temporibus SCRIBONIVS LARGVS, ipſeque ſuam ætatem prodit, quando Meſſalinæ Claudii coniugis, tamquam viuæ, & itineris a Claudio in Britanniam inſtituti, cuius comes fuit, diſerte meminit. Fueritne ex nobiliſſima familia Scriboniorum, an ab ea manumiſſus, an denique tamquam cliens eius nomen, more illius ſæculi, aſſumſerit, haud facile dixeris. Proſtat ſub illius nomine libellus, qui compoſitiones medicæ inſcribitur.

ↃↃCX. Quum hic liber multum abſit a puritate latini ſermonis & reliqua elegantia, quibus ſe Corn. Celſi ſcripta commendant: factum hinc eſt, vt viri eruditi varias de illo ſuſpiciones prodiderint. Sic IANO CORNARIO viſum fuit, hunc librum ab auctore ſuo fuiſſe græce conſcriptum, & ſero tandem in latinum ſermonem translatum. Enimuero alii docti viri hanc coniecturam improbarunt. Mihi videtur documento eſſe, quantum interſit inter virum, qui ſine cultu litterarum ſolis diſciplinis operam nauat, & alium, qui dicendi & ſcribendi facultatem adeptus ad commentandum accedit.

ↃↃCXI.

IↃCXI. In toto opere ſunt medicamentorum formulæ ad certos morbos deſcriptæ. Aliquas & pleraſque ab auctoribus, qui ante eum ſcripſerant, accepit: quaſdam meminit ſe precibus & pretio ſibi comparaſſe: aliquas pridem arcanas feliciter ex ſcriniis eruiſſe. Huiusmodi ſunt hiera diacolocynthidis Pacchii Antiochi: remedium colicæ, quòd ſupra hominis ſpem conditionemque poſitum ipſe dicit, emtum a muliere Africana: hydrophobiæ remedium, quod brachio alligatum ſanat illos etiam, qui iam aquæ metu correpti ſunt, quod barbarus in Cretam naufragio appulſus, & ob hanc artem publica mercede ſuſtentatus, prodidit.

IↃCXII. Laudat præceptorem APVLEIVM CELSVM, cuius etiam antidotum ab hydrophobia præſeruantem poſuit. Centuripis in Sicilia ortum perhibet. Ante laudatus PACCHIVS ANTIOCHVS horum fuit temporum: nam moriens libellum ad Tiberium Cæſarem ſcriptum reliquit, quo antidotum ſuam, qua magnos quæſtus fecerat, deſcripſit. Hic fuit diſcipulus PHILENIDIS Catinenſis: qui Auguſteo æuo vixiſſe videtur. Idem propterea notabilis eſt, quia, teſte Dioſcoride, ſcripſit de elleboro albo. Scribunt alii nomen Philonides, & patria Aetnæum produnt: quod non efficit, vt alium putemus:

mus: quia Catina ad radices montis Aetnæ ſita eſt. Alia etiam ſcripta eius, ad rem pharmaceuticam pertinentia, laudantur.

IↃCXIII. Neronis ætate magna auctoritate florebat ANDROMACHVS Cretenſis, in quo viro illud maxime notatu dignum eſt, quod archiatri titulo primus omnium exornatus fuit. Hac quidem in re aliquantulum hæreo, quum Seruilius Damocrates, de quo §. 603. dicebamus, videatur eadem dignitate prior floruiſſe: quippe Plinius ait ipſum fuiſſe e primis medentium, quod archiatrum Latine videtur exprimere. Sed quum ætas eius non videatur dubio carere, nolim pertinaciter repugnare eorum ſententiæ, qui Andromacho hanc honoris prærogatiuam vindicant, ipſumque Damocratem, ſi non iuniorem, ipſi tamen ſupparem faciunt.

IↃCXIIII. De ipſo titulo archiatri, & quid ille valeat, an principem medicorum, an vero medicum principis, iam diu magna contentione a doctis viris diſputatum fuit. Vero videtur ſimillimum, medicos in vrbe Roma, poſtquam ius ciuitatis adepti fuerant, indiesque plures, tamquam ad vniuerſi orbis metropolin, affluebant, rebus ſuis conſulere voluiſſe, forte etiam debuiſſe, collegio medicorum inſtituto, cui regundo opus erat vno, aut pluribus, qui cum auctoritate ipſi præeſſent. Cumque

que illum eligendum prudentia iuberet, qui plurimum in tuendo & ornando vniuerſo ordine poſſet: accidiſſe, vt eos, qui apud principem maxime valeret, ſui ordinis etiam principem expeterent & conſtituerent. Atque hoc videtur fuiſſe initium archiatrorum in vrbe Romana, cuius exemplum ſequutæ aliæ deinceps vrbes, collegia & archiatros etiam inſtituerunt: de quo ſub Iuliano iterum diſpiciemus.

IↃCXV. Andromachi duo, pater & filius, ambo Cretenſes, hoc tempore vixerunt, ambo archiatri. De dogmatibus eorum nihil conſignatum inuenimus: ſed quod multorum medicamentorum aut concinnatores aut compilatores fuerint: adeoque Scribonio Largo in hoc ſimiles, magisque empirici, quam rationales: certe nouatorum nulli magnopere addicti. De patre vix quicquam noſcimus, quam quod ex GALENO reſcimus, quod medicam artem non ſolum rerum vſu probe callueris, verum etiam ſermonis elegantia rationem in ipſis copioſe exercuerit: atque hoc meruerit, vt principes hunc tantopere excellentem virum medicis imperare, ἄρχειν τῶν ἰατρῶν, iuberent. Quo quidem teſtimonio omnem de archiatris diſceptationem valde illuſtrari exiſtimo.

IↃCXVI. Auctor eſt magnæ, & ad hunc vsque diem celebris, compoſitionis, quæ

theriaca Andromachi dicitur. Duplicem in illa concinnanda ſcopum habuit, vt & mentem ſerenam, hilarem ac tranquillam redderet: & vt venenis, tam morſu in nos delatis, quam ore acceptis, reſiſteret. Prioris reſpectu eam nuncupauit γαλήνην, itemque ἱλαρὴν, tamquam tranquillitatem & hilaritatem menti ac corpori conciliantem, curas abſtergentem, & corpori etiam integritatem ſuam, reddito ſomno, ſicque inſtauratis viribus & omni excretionum genere promoto, reparantem.

IↃCXVII. Baſin, pro duplici ſcopo, duplicem fecit, trochiſcos viperarum, vt eſſet θηριακὴ: opium, vt eſſet γαλήνη. Hoc autem arte reuera admirabili correxit, addita ſufficienti quantitate ſcilla. Nam quæ validam vim purgantem habent, ea corrigunt opium, ne nimis torpidos faciat, eademque ab opio domantur, ne ferociam ſuam exſerant. Non demum GEORGIVS STARCKEY hoc arcanum inuenit: ſed plures nouerunt veteres: vt nuper in Philone Tarſenſi, qui opium adiecto euphorbio domabat, vidimus. Andromachus porro, corrigendi cauſa, adiungebat haud patua quantitate acria aromatica, vt piperis tria genera; quoniam perſuaſi erant, opium eſſe ad exceſſum frigidum, eandemque qualitatem corpori affricare: acria, autem omnia eſſe calida; hinc

hinc emendare noxas a frigiditate opii extimeſcendas.

IↃCXVIII. Iſtud itaque medicamentum Romæ tantam famam conſequutum eſt, vt omnes principes, & nobiliſſimus quisque, illo familiariter vteretur: & quo magis certi eſſent de legitima eius confectione, in palatio illud conficiendum a medicis curarent: in prouinciis autem haberent homines, qui ad eam componendam neceſſaria, locis, vbi optima proueniunt, & debito tempore, collecta transmitterent. De quo copioſe diſſerit Galenus in iis, quæ ſub eius nomine proſtant, libris de theriaca, vt & de antidotis: quibus etiam indicat, quod multi magiſtratus, qui ius vitæ & necis habent, in hominibus, ob crimina ſua ad mortem condemnatis, experimenta ceperint, quos vel a venenatis animalibus mordendos curauerunt, vel venenum ſumere coegerunt, vt vires medicamenti comprobarentur.

IↃCXVIIII. Carmen illud græcum, elegiaco genere ſcriptum, quo Andromachus tam vires medicamenti, quam præparationem docet, integrum exſtat & in laudatis Galeni libris legitur. Ceterum nihil de reliquis eius vel ſcriptis vel ſententiis commemoratur. Sed filius eius, qui de re medicamentaria valde multa ſcripſit, apud Galenum, aliosque veteres,

fre-

frequentiſſime citatur. Non ſatisfaciebat autem omnibus ſtudio ſuo: quoniam omiſerat dicenda de præparatione & vtendi rationibus: ex quo factum eſt, vt Galeni iam temporibus libri eius negligerentur.

IↃCXX. Iisdem temporibus ASCLEPIADES, quem iuniorem veteres denotant, ſtudio rei medicamentariæ floruit, vnde vel ipſe, vel opus ab eo ſcriptum, φαρμακεὼν dictum eſt. Decem libris digeſta fuiſſe dicuntur, quæ collegit medicamenta. Atque CHARICLES etiam pari ſtudio in medicamenta colligenda latus fuit. De eo TACITVS teſtatur, quod arte inſignis, non quidem regere principis valetudinem ſolitus fuerit, conſilii tamen copiam præbere. Ex quo apparet, inter plures, qui noua excogitare ſtudebant, ſemper tamen fuiſſe experientiæ magis deditos, & antiquitatis tenaces viros; quibus etiam primus inter medicos eiusdem æui dignitatis locus fuit delatus.

IↃCXXI. Andromacho vtroque aliquanto prior fuit MENECRATES, qui pariter in colligendis medicamentorum compoſitionibus ſtudium poſuit. Quum videret, quam facilis occaſio aberrandi enaſcatur, quando ponderum ſigna permutantur & numeri per characteres ſcripti non recte ponuntur: conſilium cepit

ob-

obuiam his erroribus eundi. Exarauit itaque librum, in quo lectiſſima medicamenta, integris ponderum ac menſurarum nominibus numeriſque deſcripta erant: eique ab hoc, & quoniam Cæſari eum dedicauerat, titulum fecit ἀυτοκράτωρ ὁλογράμματος. Sed exigui temporis fructum hanc eius prouidentiam tuliſſe Galenus conqueritur: cuius tempore iam is liber, quemadmodum alii, ſiglis notiſque conſuetis exaratus, in hominum manibus verſabatur.

IↃCXXII. Sed nec omittendi ſunt nouatores: quos inter primum locum meretur THESSALVS Trallianus: de quo Plinius ita ſcribit: eadem ætas, Neronis principatu, ad Theſſalum tranſiliuit, delentem cuncta maiorum placita, & rabie quadam in omnis æui medicos perorantem: quali prudentia iudicioque, æſtimari vel vno argumento abunde poteſt, quum monumento ſuo, quod eſt in Appia via, iatronicen ſe inſcripſerit. Nullius hiſtrionum equorumque trigarii comitatior egreſſus in publico erat. Facit hæc cenſura grauiſſimi viri, vt tanto minus de Galeno ſuſpicemur, quod priuato odio erga ſectam, quam Theſſalus arripuerat & propagauerat, durius de ipſo tam multis locis ſcripſerit.

IↃCXXIII. Patriam ætatemque eius ex di-

dictis cognoſcimus. De educatione eius Galenus nos edocet, patrem ipſi fuiſſe, qui lanis carminandis victum quæſiuerit. Apud hunc illum in gynæceo eſſe educatum, ſine litteris, ſine philoſophia. Quum autem videret, ſe nulla ad fortunam enit virtute poſſe, fauorem ſummorum in vrbe Roma virorum conſequi ſtatuit, non imperando, vt veteres in procuranda ægrotantium ſalute ſolebant, ſed adulando & voluptatibus curandorum inſeruiendo. Vbi autem ſemel his artibus gratum ſe eſſe redditum intelligebat, nihil acerbitatis & arrogantiæ erga ceteros medicos omittebat. Neque contentus viuorum contemtu & contumelioſa laceratione: nulli etiam mortuorum parcebat, atque ſeorſim Hippocratem immodeſte allatrabat.

IↃCXXIIII. Accuſationi huic fidem iam facit Plinii teſtimonium: magis autem clare impudentia hominis elucet ex epiſtola ad Neronem ſcripta, qua ſe iactat, quod nouam ſectam condiderit, eamque ſolam veram: propterea, quod, qui ante ſe fuiſſent medici, omnes nihil vtile prodiderint, vel ad ſanitatem tuendam, vel ad propulſandos morbos. Hoc fuit exordium epiſtolæ: ex quo coniectura fieri poteſt, qualia fuerint cetera. Inter alia Hippocratem aperte accuſat, quod noxia præcepta

cepta reliquerit: ſeorſimque aphoriſmos eius errorum multorum reos egit.

IↃCXXV. In cetera aſſentatione ſua Theſſalus etiam illud iactabat, artem medicam omnem ſex menſium ſpacio ſe eſſe traditurum: qua pollicitatione ſibi quam plurimos diſcipulos breui comparauit: quum non ſolum potentium ſeruos tantillo tempore inſtituendos acciperet: verum etiam efficeret tanta pollicitatione, vt paſſim ſellularii opifices, propriæ artis magiſterio relicto, operam ei nauarent, vt cito poſſent in medicinæ opera inſilire.

IↃCXXVI. Quod nouam ſectam condidiſſe videri Theſſalus volebat; videndum nunc erit, qualis illa fuerit. Quum Themiſon §. 578. 579. communia morborum quædam intueri primus docuiſſet, atque non valuiſſet, quippe ſenex iam ad hoc opus demum aggreſſus, omnia perficere: Theſſalus, qui ſe artis breuis doctorem tantopere iactabat, eius nouum ſyſtema expoliendum ſuſcepit: & quum forte aliqua in illo mutaſſet, deinde pro ſuis omnia venditauit, ſeque auctorem & inuentorem τῶν κοινωτήτων, communitatum, perhibuit.

IↃCXXVII. In quo autem Theſſalus a Themiſone abierit, videtur paucis indicare Galenus: Nouat, inquit, aliquid Theſſalus præter ea, quæ a Themiſone & Aſclepiade ſunt poſita. Non enim prorſus, quem-

quemadmodum Aſclepiades, quum in ſymmetria quadam exiguorum meatuum ſanitatem, in ametria morbum conſtituerat; reditum ad priſtinam meatuum ſymmetriam ſanationem putauit: ita quoque Theſſalus eſt arbitratus: ſed totum exiguorum meatuum ſtatum immutandum cenſet. Atque ex hac opinione proceſſit metaſyncriſeos nomen, idem plane ſignificans poteſtate, quod μεταποροποίησις, hoc eſt, exiguorum meatuum ſtatus mutatio.

IↃCXXVIII. Atque ex hoc tempore frequens metaſyncriſeos & remediorum metaſyncriticorum apud veteres eſt mentio: quæ vocabula ab interpretibus Galeni, aliorumque veterum, non ſatis bene ſemper intellecta & explicata fuiſſe, cuiuis verſiones illas legenti reddetur obuium. Notandum itaque, Aſclepiadi & methodicis opponi συγκρίνεσθαι & διακρίνεσθαι. Illud valere idem, quod miſceri, coniungi: hoc ſepararari, disiungi, diſſolui. Adeoque metaſyncriſis ſignificat particularum & corpuſculorum antea vnitorum disiunctionem & deinde nouam & meliorem compoſitionem. CAEL. AVRELIANVS vtitur vocabulis recorporare & recorporatio.

IↃCXXVIIII. Illam recorporationem vt moliti ſint, inferius dicemus, quando de methodica ſecta ſeorſim agendum erit; nunc

nunc de Theſſalo abſoluemus, cuius inuentum eſt diatriton, ſeu abſtinentia integri tridui in cuiusuis morbi initio imperanda ægrotis: a quo more methodici etiam vocati fuerunt diatritarii. Illam abſtinentiam, cum requie corporis & animi tenendam, præcipiebant: atque interea nihil præter externorum ſubſidiorum, morbo conuenientium, vſum adhibebant.

IↃCXXX. Theſſali librum de regulis, ſeu diæteticon, nomine ſuo frequenter citatum apud Cæl. Aurelianum videmus. Scilicet potiſſimum quidem ſequebatur in curandis morbis veterum morem per diætam pugnandi: cum tamen per medicamenta haud omnino adſpernabatur. Enimuero ad ſuæ doctrinæ ductum omnia inflectebat, atque haud parum diuerſi tenebat. Etiam in argumento chirurgico Galenus Theſſalum alicubi adducit: vt appareat vero ſimile, etiam de hac parte eum conſcripſiſſe librum & ſuam recorporationem in ea adhibuiſſe.

IↃCXXXI. PLINIVS, vbi de Theſſalo finiuerat ſermonem, §. 622 adductum, ſubiungit ipſi CRINAM Maſſilienſem, qui, vt ait, arte geminata, vt cautior religioſiorque, ad ſiderum motus ex ephemeride mathematica cibos dando, horasque obſeruando, auctoritate eum præceſſit. Eiusmodi iatromathematicum ex Aegypto

notauimus §.129. Apparet autem, eius ſcripta Romæ circa hæc tempora fuiſſe valde trita & æſtimata, quum IVVENALIS feminam ægram & fere fatiſcentem rideat, cui tamen capiendo cibo nulla videbatur aptior hora, niſi quam dediſſet Petoſiris. Forte alteri longe priori hic poſterior fidem fecit. Hic Crinas Romæ multum lucratus fuit, vt idem Plinius aſſerit.

IↃCXXXII. Dum hi, Theſſalus & Crinas, fata regebant, repente ciuitatem CHARMIS ex eadem Maſſilia inuaſit: damnatis non ſolum prioribus medicis, verum & balneis: frigida etiam hibernis algoribus lauari perſuaſit. Merſit ægros in lacus. Videbamus, inquit PLINIVS, ſenes conſulares vsque in oſtentationem rigentes: qua de re exſtat etiam Annæi Senecæ adſtipulatio: qui ſe magnum pſychroluten vocat, quique Calendis Ianuariis in Euripum ſaltauit. Huic viam præparauerat Antonius Muſa, qui frigida perfundi a balneis ſuaſerat §. 567: ſed Charmis, vt fieri ſolet, longius progreſſus, balnea calida omnino damnauit, & mere frigida commendauit.

IↃCXXXIII. En quam multi vno tempore, famam aliqua nouitate aucupantes, animis Romanorum negotiati fuerint. Mirum itaque videri nemini poterit, ſi cordatiores viri, & litteris ac philoſophia tin-

tincti, iuſta indignatione hanc, non dicam fundi medici, ſed ciuitatis Romanæ, calamitatem deteſtati fuerunt. Hos inter plures fuiſſe haud dubito, ſed vnius exſtant acerbæ querelæ CAII PLINII SECVNDI, viri grauiſſimi & T. Veſpaſiano Auguſto familiariſſimi, cuius teſtimonio toties vſi ſumus, cuique multorum notitiam debemus, qua carendum eſſet, niſi immortale opus eius hiſtoriæ naturalis, libris XXXVII. digeſtum, propitio fato ad nos transmiſſum eſſet. De ſcriptis eius, de ſumma diligentia, deque obitu nos edocet C. Plinius Cæcilius in binis epiſtolis: quæ quoniam ſatis ſunt obuiæ, non immorabor recenſendis, quæ ibi melius legentur.

IↃCXXXIIII. Iſto, quod ad nos peruenit, magno opere, quodque bibliothecam iure dixeris, continentur, quæ omnium diſciplinarum & artium cultores præclare iuuant: neſcio autem, an præter medicinæ ac naturalis ſcientiæ ſtudioſos quisquam maiores cauſas habeat, grata commemoratione induſtriam inſignis viri concelebrandi. Certe ingratos puto illos, qui fabularum patrem ipſum dicunt, qui nihil ſcripſit, niſi ab auctoribus ſuis, quos ad ſingulos libros indicat, acceptum, & ex illis notatum: quibus vtique tribuendum eſt, ſi falſa ad ipſum retulerunt, quæ ad nos ipſe transmiſit. Et, vt ipſius ſint

aliquæ aberrationes, vbi non recte eorum mentem percepit: ſtudium certe confingendi quicquam, quod non accepiſſet, nemo de ipſo probauerit.

IↃCXXXV. Inſeruit autem medicis, ad cognoſcendam artis ſuæ originem & progreſſum: deinde quod de animalibus, plantis, lapidibus & mineralibus, quorum in medicina ab antiquiſſimis temporibus vſus fuit, ad nos transmiſit, quæ ex libris antiquiſſimis, quorum pars magna periit, fideliter excerpſit. Nec obiici auctori debet, quod ſuperſtitioſa & magica multa in opus ſuum retulit. Nam quum Neroniano ſæculo plures amore talium faſcinati eſſent; quid mali feciſſe dicendus eſt, qui vanitatem artis, qua mundus regebatur, notauit, vt deridendam ſuo & venturo æuo propinaret.

IↃCXXXVI. Iisdem temporibus vixit DIOSCORIDES Anazarbenſis, Cilix, Nomen Pedanii, quod familiæ Romanæ eſt, videtur adſumſiſſe, quod pluribus illo tempore Græcis ſollemne fuit, vt ſe ab iis denominarent, quorum in clientela erant. Sed in editis libris vocatur Pedacius Dioſcorides. Aetatem ex eo cognoſcimus, quia de Licinio Baſſo, tamquam coæuo, loquitur: quem in faſtis ſub Nerone inuenimus conſulatu functum. Plinius Dioſcoridis nullibi meminit, vt nec hic illius: vnde

vnde coniicimus, eodem tempore hos viros ſcripſiſſe, aut alterum alteri non innotuiſſe. Quanquam aliquando eadem de iisdem rebus tradunt: ſunt tamen, vbi non parum inter ſe diſſident: vt appareat, aliquando eos ex iisdem fontibus, alio tempore ex diuerſis hauſiſſe. Diuerſitatis exemplum capias ex eo, quod vterque de elleboris tradit.

IↃCXXXVII. Peruenerunt ad nos libri de materia medica quinque, qui ſoli dubio carent, & ab omnibus ad Dioſcoridem referuntur. Deinde liber de venenis, qui alexipharmaca inſcribitur, & de venenatis animalibus, cui theriaca titulum fecerunt. Tandem etiam de euporiſtis, ſeu facile parabilibus, tam ſimplicibus quam compoſitis libri duo ad Andromachum exſtant. Sed de his poſtremis maxima eſt dubitatio. Videntur hi libri olim iam fuiſſe incerti auctoris, nam apud Theodorum Priſcianum, quem Octau. Horatianum alii dicunt, Græcus euporiſton liber bis adducitur, vbi celebre Dioſcoridis nomen non videtur omiſſurus fuiſſe ſcriptor ille, ſi eius eſſe hoc opus nouiſſet.

IↃCXXXVIII. Libri de materia medica omnium, qui ad iſtam ætatem prodierant de eodem argumento, perfectiſſimi videbantur Galeno. Etſi enim, inquit, qui illum anteceſſere, de iisdem bene ſcripſiſſe

reperiuntur: nemo tamen omnium æque de omnibus. Nos in illis merito deſideramus, quod de plurimorum notis & characteribus, quibus cognoſcenda & ab aliis dignoſcenda ſunt, parce nimis tradidit. Videtur autem illi noſtro deſiderio in codicibus ab illo emiſſis locum minus fuiſſe: quoniam adiectæ picturæ compenſabant, quod in deſcriptione omiſſum erat. Et exſtant ſane iſtiusmodi codices antiquiſſimi pulcherrimis picturis ornati: qualis eſt, qui in Cæſaream bibliothecam Vindobonenſem a BVSBEQVIO illatus fuit, cuius bonitatem æſtimare licet ex iis, quæ LAMBECIO deſcribente noſcimus. Huic ſimilis Neapoli viſus fuit a MONTFAVCONIO, quamuis mutilus: aliusque Pariſiis adſeruatus a SALMASIO notatur. Atque vtinam illæ picturæ, fideliter deſcriptæ arte chalcographica publici iuris fiant: atque ipſemet etiam textus ad fidem tam egregiorum codicum recenſeatur.

IↃCXXXVIIII. Contigit autem Dioſcoridi, Galeni elogio tantopere commendato, vt per omne tempus inſequutum maneret in ſchola medica claſſicus auctor, cuius fide & auctoritate omnes niterentur. Et quamquam Arabes noua multa in artem inuexerunt, prioribus incognita: hoc tamen auctore in ſuam linguam translato, con-

contenti vixerunt, & de nouis illis ſeorſim expoſuerunt.

IↃCXXXX. Multum ſe peregrinatum eſſe, vt res, quas deſcribere volebat, coram ſuis locis intueretur, in præfatione commemorat: ex qua etiam cognoſcas, quod militarem vitam diu egerit. Quanquam autem nihil prohibet, medicum eſſe, & vitam militarem agere; quum medici frequenter caſtra ſequantur: dubitandi tamen occaſio hinc enata eſt, an Dioſcorides medicinæ ex inſtituto addictus, eorum, quæ de viribus ſingulorum ſcripſit, vſum aliquem & experientiam habuerit, an ex libris tantum priorum medicorum collegerit, quemadmodum Plinius fecit. Sed præfatio ad ARIVM perſuadet, quod medicinæ ſingulari ſtudio deditus fuerit, & ab arte facienda non alienus.

IↃCXXXXI. Ille ARIVS videtur Tarſenſis fuiſſe & Aſclepiadis ſectæ ſtudioſus. Citatur aliquoties a Galeno, tamquam ſcriptor, qui ad rem medicamentariam pertinentia collegit. Ceterum meminit Dioſcorides plurium, qui ante ſe idem argumentum nouiſſime tradiderunt, Tullii Baſſi, Nicerati, Petronii, Nigri & Diodoti, Aſclepiadeorum omnium. NIGER, qui hic legitur, apud Plinium ſæpe citatur SEXTIVS NIGER, qui Græce ſcripſit, at-

que diligentiſſimus auctor medicinæ celebratur. Ab hoc Nigro Plinium pleraque accepiſſe SALMASIVS putat: eundemque Dioſcoridi large ſuppeditaſſe, quæ deſcriberet, & pro ſuis exhiberet, idem iudicat. Forte liberiori quam iuſtiori ſuſpicione: quum Galenus, illis temporibus proximus, nihil tale commemoret.

IↃCXXXXII. Ante quam vlteriora tempora attingam, dicendum eſt de EROTIANO, quem alii Herodianum vocant, qui vocum difficiliorum & non vulgo cognitarum, quæ apud Hippocratem occurrunt, explicationem, Andromacho dedicatam, reliquit: incertum, an patri, an filio, quorum hic certe ad ætatem Veſpaſiani viuendo pertingere potuit. Illud opus non primum in hoc genere fuiſſe, apparet ex præfatione, qua admodum multi, tam medici, quam grammatici, nominibus ſuis recenſentur, qui Hippocrati hoc officium præſtiterunt. In eodem prologo exſtat antiquiſſimus omnium, quos habemus, catalogus ſcriptorum Hippocratis, ex quo cognoſcere licet, quos hic vir genuinos Hippocratis libros exiſtimauerit. Videas eruditos ſæpe huius auctoritate niti.

IↃCXXXXIII. Mentio nunc iniicienda eſt aliquorum hiſtoriæ huius momentorum, quæ ad certiſſimam ætatem reuocari non poſſunt: ſed circa hæc tempora inciderunt.

derunt. In libro, quem inter Galeni volumina, ſub titulo introductionis, ſeu medici, relatum inuenimus, poſt recenſionem ſectarum commemoratur fuiſſe quosdam epiſyntheticos, alios eclecticos. Atque in eodem libro alii laudantur pneumatici. De his itaque paucis diſpiciendum eſt.

IↃCXXXXIIII. EPISYNTHETICI, quaſi conciliatores, videntur fuiſſe ſcholæ methodicæ viri, qui inter diſſentientes auctores & ſententias quæſiuerunt conſenſum ſtabilire. Docet hoc nexus narrationis apud laudatum auctorem. Inter epiſyntheticos laudat LEONIDEM, Alexandrinum, cuius ſcripta perierunt, quamquam ſubinde aliqua eius apud veteres laudantur, ex quibus tamen vel de ſecta viri, vel de ſingularibus eius dogmatibus, nihil licet eruere.

IↃCXXXXV. Quod ad ECLECTICOS attinet, ſcribitur quidem nomen ἐκλεκτοὶ: quod electos Latine valet. Sed placet doctis viris potius ἐκλεκτικοὶ eſſe legendum: quod nomen ſibi paulo ante hæc tempora aſſumſerant philoſophi, qui ex diuerſis ſcholis ea, quæ maxime probabilia videbantur, ſeligebant. Huic ſectæ tribuitur ARCHIGENES, Apamea Syriæ ortus: quem inferius inter pneumaticos videbimus.

IↃCXXXXVI. PNEVMATICAE ſectæ paulo pleniorem notitiam ex Galeno colligere licet: qui libro, quo de pulſuum differentiis agit, infinitam cum illis contentionem ſuſcepit. Ex Stoica ſchola eos prodiiſſe diſerte docet, quando Chryſippum philoſophum ſectæ huius proauum vocat, atque his omnibus, qui pneumatici vocantur, ſententias Stoicas placere aſſerit. Medicos huic ſectæ addictos recenſet Archigenem, Agathinum, Magnum, Athenæum & Herodotum: de quibus paucis exponam prius, quam de dogmatibus ſectæ diſpiciamus.

IↃCXXXXVII. Principem huius ſectæ, ATHENAEVM, Attalia Ciliciæ oriundum fuiſſe, Galenus pluribus locis teſtatur. Eundem Aſclepiade Bithyno ætate poſteriorem fuiſſe, ex eo colligimus, quoniam aduerſus ipſum diſputauit. Vniuerſam ſcientiæ medicinalis tractationem tam exacte, vt nullus ex iunioribus medicis, eodem teſte Galeno, elaborauit. Principale ipſius dogma fuit, non quatuor illa corpora, ignem, aerem, aquam, terram elementa eſſe, ſed eorum qualitatem, calidum, frigidum, ſiccum & humidum. Ex quibus duo cauſſarum efficientium munere fungi, puta calidum & frigidum: duo materialium, ſiccum & humidum, ſupponit. Quintum vero ex Stoicorum opinione

nione introducit, ſpiritum cuncta penetrantem, a quo omnia continentur & gubernantur. Hoc ſpiritu ſolo, cuncta penetrante, tum naturalia conſiſtere & gubernari, tum morbos vniuerſos, hoc prius offenſo, creari dixit: vnde factum eſt, vt ipſi ac ſequacibus pneumaticorum nomen inderetur, veluti qui omnia ſpiritui attribuant.

IↃCXXXVIII. Athenæi auditores fuerunt AGATHINVS, cuius in doctrina de pulſibus ſubinde meminit Galenus: & MAGNVS, in eodem argumento memoratus. Scripſit librum de inuentis poſt Themiſonis tempora: in quo videtur pneumaticæ ſectæ principia explicuiſſe: etiam de pulſibus ſcripſit. Videtur vsque ad tempora Galeni viuendo pertigiſſe: quippe qui alicuius Magni, archiatri dignitatem adepti, qui ſua memoria vixerit, mentionem iniicit, librique de antidotis ab ipſo ſcripti meminit.

IↃCXXXVIIII. Agathinus diſcipulos habuit HERODOTVM, ad quem, apud Romanos in medicina exercenda clarum, librum de pulſibus exarauit: & ARCHIGENEM, virum celeberrimum, atque multorum librorum auctorem, qui ſæpiſſime apud Galenum, aliosque citantur. Romæ ipſum vixiſſe & magnam famam operibus artis exercendis conſequutum fuiſſe

inde

inde diſcimus, quod Iuuenalis ipſum ali-quoties per antonomaſian pro claro me-dico poſuit. Oportet illum non adeo ſtri-cte & ſeruiliter vni ſectæ addictum fuiſſe: quoniam inter eclecticos ab aliis ponitur.

IↄCL. His tandem accenſendus eſt ARETAEVS Cappadox, cuius Galenus nullibi meminit: vt nec Galeni mentio apud illum vlla occurrit. Viri huius ſcriptis, dialecto Ionica exaratis, vtinam integris, hodie fruimur, miramurque exactam illius in hiſtoria morborum conſignanda & locis affectis perſcrutandis diligentiam. Obſeruat doctiſſimus IO. WIGGANVS, editionis Oxonienſis auctor, magnam inter illa, quæ ex Archigene apud Aetium referuntur, & quæ de iisdem morbis apud Aretæum leguntur, eſſe conuenientiam: vnde forte factum ſit, vt Archigenis, Attica dictione vſi, ſcripta, gloriæ Aretæi officerent, vt minus Romæ expeterentur: quum eiusdem vterque ætatis eſſet.

IↄCLI. Quoniam, quæ ad ſectam pneumaticam pertinent, inferius ſeorſim recenſere volumus, nunc quæ ad Aretæum priuatim pertinent, ſubiiciemus. Totam artem curatiuam octo libris digeſſit, quorum bini priores agunt de cauſis & ſignis morborum acutorum: bini ſequentes de cauſis & ſignis morborum diuturnorum. Quintus & ſextus tradunt curationem mor-

morborum acutorum: binis autem poſtremis de diuturnorum curatione exponitur. In his libris de ſede morborum, ſeu parte affecta, ſollicite inquirit, eamque vt rectius pernoſcere lector poſſit, de partium fabrica & vſu ex anatomica doctrina multa affert. Quod quum quærere ſuperuacuum cenſuerint methodici: neſcio quam cauſam vir de hiſtoria medicinæ optime meritus habuerit ſuſpicandi, aut potius aſſerendi, quod cum methodicis multa habuerit communia. Nam quod morbos in genere diſtribuit in acutos & diuturnos: idemque methodici fecerunt: videndum eſt an methodici huius in tractatione de morbis inſtituendi ordinis auctores fuerint.

IↃCLII. De anatomica Aretæi doctrina diligenter exponit iam ſupra laudatus editor Oxonienſis, ex quo illud commemorare liceat, quod de neruorum ſitu iuxta originem inuerſo, quem chiaſmum vocamus, nos edocet. Credidit enim, neruos dextros non in directum ad dextras partes, vsque ad finem pertingere: ſed vtroſque, origini ſuæ inſertos, continuo ſe inuicem tranſire, in figuram litteræ Græcæ X, ad oppoſitam partem tendentes. Quod dogma veterum pluribus in animum venit, ex practica obſeruatione loci per vulnus aliquod, aut lapſum vel contuſionem affe-

cti,

cti, in oppoſita autem euenientis noxæ in ſenſibus aut motibus.

IↃCLIII. Quod dialecto Ionica ſcripſit, aliqui ipſum antiquiorem rati ſunt: ſed quum habeamus alia Hadriani æuo eadem dialecto exarata: ipſeque memoret res, quæ Cæſarum initiis poſteriora ſunt: non dubitandum eſt, quin ad æuum noſtrum pertineat.

IↃCLIIII. In praxi ſua antiquitatem omnino ſequitur. Vomitum concitat tam lenibus illis diæteticis, quam fortitiſſimis, vt elleboro albo, quem inciſum, cum lentium decocto aut alica, ad duas drachmas præbet. Exiſtimat autem illum vetuſtorum omnium morborum, qui radices iam altas egerunt, quum reliqua auxilia nihil quicquam opus præſtiterint, vnicum remedium eſſe: ſiquidem igni facultate par ſit elleborus albus, & quicquid ille vſtione facit, plus hic efficiat per interiora diſcurrens. Spirationem enim facilem ex difficili, ex malo colore bonum, ex macie habitum corporis pinguem efficit.

IↃCLV. Purgantia adhibuit aloen, hieram, coccum gnidium, elaterium, æs combuſtum & veratrum nigrum. Enematibus ſal, nitrum, terebinthinam, caſtoreum, immo euphorbium ac colocynthidem adiecit. Venæ ſectionem crebro adhibuit; in cubito, talo, ſub lingua, in fron-

fronte, in naribus & in pube. Diſputat aduerſus eos, qui in brachio modo externam, modo internam venam præferendam putant: quum omnes ſint vnius eiusdemque venæ rami. Similiter aduerſus eos diſputat, qui, lieni opem laturi, venam ſiniſtræ manus, quæ inter annularem & minimum digitum procurrit, ſecandam præcipiunt, quum hæc propago ſit eiusdem venæ, quæ eſt in cubito, ibique amplior melius, quam hic anguſtus ramus, pertundi poſſit. Menſuram etiam ſanguinis, vna miſſione extrahendi, determinat heminam dimidiam, ad integram; magisque ſuadet repeti detractionem, quam ſimultanea magna detractione hominem in periculum adducere.

IↃCLVI. Ex ceteris ſanguinem detrahendi modis arteriotomiam, cucurbitulas atque ſanguiſugas probauit & adhibuit. Ceterum per diætam potiſſimum curandos morbos acutos iudicauit. In vino permittendo aliquanto liberalior vetuſtioribus videtur. Medicamenta ſomnifera, vt theriacam, mithridatium, libenter dedit. Caſtoreo frequenter vſus fuit, tamquam neruino antiſpaſmodico, & concoctionem ſuper omnia iuuante. Lactis vſum ſæpe ſuaſit, aſinini, caprini, equini, ouilli & muliebris. Sinapiſmis denique & phœnigmis multum tribuit. Vſtiones non re-

for-

formidauit: calculum veſicæ exſcinden dum præcepit. Ex quibus ſingulis cogno ſcitur, quod a methodicorum rigida ſecta admodum longe remotus fuerit.

IↃCLVII. Temporibus TRAIANI, qui A. V. IↃCCCCL. noſtræ autem æræ LXXXXVII imperio admotus eſt, vixiſſe commemoratur RVFVS Epheſius, vir antiqui moris & medicinæ ſtudioſus. Multa Græco ſermone ſcripſiſſe de medicina memoratur ex quibus ad noſtra tempora pauciſſima peruenerunt. Scilicet opuſculum de appellationibus partium corporis humani, & de veſicæ renumque affectibus, isque extrema ſui parte mutilus. Perdita ſunt multa, & hæc inter carmen hexametrum de plantis, cuius particulam eſſe doctiſſimus FABRICIVS, Hamburgenſis polyhiſtor, exiſtimauit illa, quæ de herbis deo alicui ſacratis Dioſcoridi ab ALDO pridem ſubiecta, ab ipſo autem in bibliotheca Græca recuſa ſunt.

IↃCLVIII. Huius temporibus floruit PLVTARCHVS CHAERONENSIS, non quidem medicus, ſed polyhiſtor, a Traiano conſularibus ornamentis honoratus. Duplici nomine ſui memoriam in hac hiſtoria requirit. Scripſit enim de ſanitate tuenda dialogum ſatis amplum, & præceptis medicinæ ſaluberrimis repletum: qui inſuper multa de moribus illius ſæculi in con-

onuiuando, deque crebris vomitionibus, vt voracitati & ingurgitationibus aptiores fierent, nobis explicat, nec iniucunde refert tum exempla, tum præcepta veterum. Deinde reliquit vtiliſſimos libros quinque de placitis philoſophorum phyſicis: quod opus Galeni quoque libris intermixtum, atque huic a multis tributum eſt: ſed Plutarcho diſerte adſcribitur ab EVSEBIO & CYRILLO. Fere omnium, tam philoſophorum quam medicorum, ſententiæ de rebus naturalibus, quas phyſiologia medica conſiderat, ibi leguntur, multaque ex his ignoraremus, niſi hic conſignata eſſent.

IↃCLVIIII. Poſt Traianum princeps fuit HADRIANVS ab A. V. IↃCCCLXX. & imperio per annos xx. præfuit. Vir litteris earumque profeſſoribus, atque hos inter medicis, prolixe cupiens. Eius ætate multi floruerunt, quos cum Galeno licebit ſuo loco coniungere. Sed memoriam ſui hoc loco poſtulat SORANVS Epheſius, qui methodicam ſectam abſoluiſſe creditur, longeque perfectiorem reliquiſſe, quam Theſſalus Trallianus, de quo ſupra dicebamus. Modeſtior ille & melior vir fuiſſe videtur Theſſalo: nam Galenus, qui methodicis in vniuerſum non parcit, Theſſalum autem ſubinde duriſſi-

me excipit, de Sorano numquam niſi ſatis honorifice loquitur.

IↃCLX. Alexandriæ aliquamdiu vixit: deinde autem Romam venit & artem exercuit. Scripſit complures libros, quos temporis iniuriæ abſtulerunt. Sed, quod iacturam leuat, CAELIVS AVRELIANVS, Afer & ſæculi, vt exiſtimare licet, quinti ſcriptor, ſtilo quidem horrido, eum in Romanum ſermonem transtulit, ſeu vt ipſe loquitur, latinizauit. Cumque is vnicus ſit auctor methodicus, qui nos de eius ſectæ doctrinis inſtruere poteſt: iſto præcipue duce de ſecta hac ſequenti capite diſſeremus.

IↃCLXI. Fuit hoc noſtro Sorano iunior aliquis, etiam Epheſius, qui de muliebribus ſcripſit, vt & de vitis medicorum: cuius operis particula fuiſſe videtur illa Hippocratis Coi vita, quæ cum operibus eius coniungi ſolet. Quum iuſtam ætatem eius ignoremus, hoc loco mentionem de eo annexere viſum fuit.

CAP.

# CAP. XV.

## DE MEDICINA SECTARVM METHODICAE ET PNEVMATICAE.

IↃCLXII Methodicæ ſectæ primum auctorem THEMISONEM vidimus ſub Auguſto §. 577. Quoniam medicinam definiuerat methodum, eorum, quæ in morbis communia ſunt, contemplatricem §. 580: hinc ſe vocauerunt methodicos, ac medicinam ſuam methodicam, quotquot illam omnibus priſcorum inuentis meliorem perfectioremque iudicabant. Themiſonianam doctrinam atque communitates ſubtilius excoluit, Neronis ætate, THESSALVS TRALLIANVS, atque doctrinam de metaſyncriſi § 627. adiecit. Supremam tandem manum methodicæ ſectæ admouit, rigoremque methodi, vt cum Cæl. Aureliano loquar, excogitauit SORANVS Epheſius §. 659. Ex huius mente Latine ſcripſit CAELIVS AVRELIANVS: cuius monumenta hodieque exſtant, & ex quibus hanc totius methodicæ diſciplinæ ideam concinnauimus.

IↃCLXIII. Methodici cauſarum, niſi manifeſtæ eſſent, inquiſitioni non faue-

 bant,

bant, ſed ſatis habebant, communia quædam morborum intueri. Summa eorum genera faciebant acutum & chronicum. Sub vtroque genere aliqui erant, in quibus ſtrictura, alii, in quibus relaxatio nimia obſeruaretur: ſed & aliqui vtrumque ſimul, ſtrictum ſcilicet & laxum, obtinere iudicabantur. Stricturæ morbum ex eo arguebant, ſicubi ordinarias euacuationes retineri intelligebant, aut ſi partium inflationes, tumores, indurationes acciderent. Relaxationem accuſabant, vbi naturales euacuationes tempore & gradu peccabant, ſi corpora nimis laxa, arida & exſucca redderentur. Complexam paſſionem dicebant, in qua nunc ſtrictura, nunc ſolutio ſuperabat: vt in catarrho, vbi conſtrictio atque dolor ſtricturæ accidentia habebantur: multorum vero liquidorum egeſtio ſolutionis ſignum putabatur.

IↃCLXIIII. In nonnullis ſat difficile ipſis videbatur inuenire, ad quam potiſſimum referre ea claſſem deberent. Exemplo ſit hydrophobia, quam, non quidem ob præcipuum phænomenon, aquæ metum, aut mordendi cupiditatem, ſed ob minus principalia, ſitim, ructus, excrementorum retentionem, ad ſtricturæ morbos referebant. Copioſius apud C. Aurelianum, quam vllum alium ex vetuſtis, de hoc morbo agitur, diſputaturque, an nouus ſit morbus

bus, & an corporis potius ſit, quam animi paſſio dicendus.

IↃCLXV. Morbi genere inuento, parum ſolliciti erant de parte affecta detegenda, niſi forte in propinquo eſſet, vt remediis externis, immediate applicandis, locum faceret. In omni autem curatione plus præſidii ab rerum, quæ non naturales vocantur, recta ordinatione, quam a medicamentis, ſperabant. Sic aerem laxatiuum reddituri, ægrotum loco ſpacioſo, claro & mediocriter calido decumbere iubebant: eundem vt haberent ſtringentem, collocabant ægrum locis obſcuris frigidioribus, vsque adeo, vt nonnumquam ad caueas & loca ſubterranea demitterent: parietes conclauium ramis arborum vmbroſarum, & frigidum quid ac adſtringens exhalantium, inducebant, vt lentiſci, granatorum, myrti, vitis: crebro aquam frigidam per conclaue ſpargebant, & ventilabris motum agitationemque ipſius procurabant.

IↃCLXVI. Non minus curioſi erant in componendis lectis atque ſtragulis ægrotantium, ipſoque ſitu determinando. Sed ampliſſimam induſtriam carnium, aliorumque cibariorum, nec non potus generum, delectui adhibebant. Notabile eſt, quod ad vires erigendas, ſi ægrotus per os cibum aſſumere vel faſtidiret, vel nequi-

ret, non ſolum clyſteribus, ſed & cataplaſmatibus nutrientibus ſuccurrere tentauerint.

IↃCLXVII. Aduerſus ſpecifica remedia acriter diſputabant: ſed nonnumquam tamen adhibebant: vt exemplo eſſe poſſunt ad lumbricos excludendos propoſita; quæ inter etiam cornu ceruinum legitur. Similiter purgantia, Aſclepiadem ſequuti, reprobabant, quod ex ſtricto fluxum, genus morborum alterum, inducant. At caſu vrgente nihilo minus ad ea confugiebant: vt nec elleboriſmos reformidarent, de quo poſtea dicetur. Narcotica omnia reprobabant: neque diureticis, extra hydropem, locum facile concedebant.

IↃCLXVIII. Diatriton methodicorum a multis commemoratum eſt. Sic vocabatur illud tempus, quo ægrotum in principio cuiusuis morbi ab omni nutrimento abſtinebant, vsque in tertium diem. Ita intelligendum illud eſſe, Cæl. Aurelianus nos docet. Sed aliter Galenus tradit, qui ſcriptum reliquit, quod illi, qui diatriton extollunt, primum quarto cibent, poſt ſexto, mox octauo, deinde decimo: quippe talis ſit eorum cibandi formula, vt prima cibatio ſit poſt primam diatriton, id eſt, integros tres dies exactos, reliquæ alternis diebus. Apparet, Galenum aliorum me-

methodicorum diatriton, forte Theſſali, talem, vt deſcripſit, inueniſſe: Soranum autem, quem Cæl. Aurelianus ſequitur, aliquid mutauiſſe.

IↃCLXVIIII. Neque vero ſolum per diatriton a nutriendis corporibus abſtinebant, verum etiam a remediis adhibendis plerumque ſibi temperabant; niſi quidem grandis aliqua neceſſitas auxilium aliquod afferendum imperaret. Durante autem diatrito os colluere, parum quid bibere, cataplaſmata, vnguenta, ad vires qualitercunque fouendas aut refocillandas, habito ad morbi genus reſpectu, permittebant.

IↃCLXX. Inter relaxantia primum tribuebant venæ ſectioni, quam tamen raro ante finem diatriti primi adhibebant, veriti, ne qua cruditas aut indigeſtio, primis viis inhærens, ſi citius ſanguinem mitterent, venas ſubiret. Sed ad animi vsque deliquium, vt priſci ſolebant, detrahere non audebant. Venas ſub lingua ſecare ſuperſtitioſum & noxium ducebant. Neque ſolum iuuenes huic euacuationis generi ſubiiciebant, ſed etiam alios in aliis ætatibus conſtitutos. Cucurbitas etiam putabant genus remedii deſtrictiuum, eoque etiam in acutis vtebantur, non ſolum ſcarificatis, ſed etiam ſiccis. Sanguiſugas etiam admouebant, quæ vbi ſatiatæ deciderant, inſuper cucurbitam loco admorſo

adponebant, vt tantum ſanguinis, quantum requiri videbatur, detraheret.

IↃCLXXI. Præcipue vero relaxationem a cataplaſmis, fomentationibus per veſicas decoctis impletas, & inunctionibus exſpectabant. Porroque aerem, victum, ſomnum, vigilias, quietem, motusque certos, vt geſtationem, præſertim domeſticam mollem & penſilem, eo accommodare ſtudebant.

IↃCLXXII. Remedia ſtringentia non minus curioſe quærebant: cuius rei exemplum iam vidimus §. 666. de aere ad hunc effectum aptando. Eodem ſcopo aquam & oleum, frigida ambo, adhibebant. Sæpe acetum, ſuccos plantaginis, myrti, roſarum, ſemperuiui, linteis talibus imbutis, exterius adhibebant. Vbi vehementius ſtringendum videbatur, pulueres ſtypticos, vt alumen, plumbum vſtum, cretam, huiusque generis alia, parti inſpergebant, aut cataplaſmata ex talibus ſimilibusue facta, imponebant. Interne autem dabant aquam frigidam, parca tamen manu, panem toſtum & aceto adſperſum, vinumque, vt res ferebat, auſterum & rubrum.

☞ IↃCLXXIII. Hactenus vidimus præcipua ſectæ methodicæ capita, quibus practica eorum ſapientia abſoluebatur. Sed maximum ſtudium ponebant in ſingulis, tam diæteticis quam medicamentis, rite ſibi

ſibi ſubordinandis, vt optatum finem conſequerentur. Excogitauerunt igitur cyclos quosdam aut periodos, quibus ad eundem ſcopum tendentia inſtituerent, iuſto tempore in eodem manendo, deinde per gradus adſcendendo ad fortiora, tandemque fortiſſima.

IↃCLXXIIII. Tales cyclos memoratos inuenimus reſumtiuum, metaſyncriticum & vomitorium. Erat autem ita inſtitutum, vt omnes mutationes per ſibi inuicem ſuccedentes diatritos facerent. Nondum ſcio, an in aliis, quam diuturnis paſſionibus, cyclicum quid obſeruauerint; videtur autem natura huius inſtituti ſatis docere, quod non alibi, quam in chronicis, curationi eiusmodi locus fuerit, ſi ex rigore ſectæ obſeruari debeat. Etiam hoc notandum, quod vel partiles cyclos inſtituerint, vel cyclum perfectum.

IↃCLXXV. Schema cyclorum dabo ex Cæl. Aureliano, quales in cephalæa adhibendos docet. Reſumptiuum ita ordinat:

die 1. paruo cibo atque aqua nutritus æger, vel, ſi ferre valuerit, ab omni nutrimento abſtentus,

2. leui motu erit exercendus atque oleo perungendus. Tunc & cibo nutriendus: id eſt, tertiam accipiat partem ſolitæ quantitatis, quam facile

percipere atque digerere ſolebat. Pa-
nis ſit limpidus, fermentatus: pul-
mentum autem oua, betæ, cucurbitæ
maluæ, lapathi, bulbi: vel piſces te-
neri & auiculæ: vel cerebrum porci-
num aut hœdinum. In hac perſeue-
ret qualitate & quantitate
3 4. duobus vel tribus diebus, iuxta vi-
rium poſſibilitatem, quo nec parua
dando debilitetur, neque adiectioni-
bus perturbatus opprimatur. Tunc
4 vel 5. detractæ partis partem tertiam
adiicientes, pulmentum damus tur-
dorum, ficedularum, aut ex pullis co-
lumbarum vel gallinarum. Tum
5. 6. 7 vel 8. rurſum poſt tres vel quatuor
dies aliam tertiam partem panis adii-
ciemus, & agreſtia dabimus pulmen-
ta, vt leporis aut capreæ: atque ita æ-
quali numero dierum (ſcilicet trium
vel quatuor)
8. 9. 10 vel 11. transacto
11. vel 12. vltimam partem panis adde-
mus, (i. e. tertiam partem ſupra con-
ſuetum & ſolitum antea pondus)
12. Pulmentum dabimus porcinum te-
13. nerum ex aqua, vel non curioſe con-
14 ditum ex anetho & ſale. Præterea ſi-
15. mili modo erit etiam vini facien-
da partitio, atque per ſingulas pul-
mentorum mutationes adiectio: ac
ſi

ſi plus ægrotans bibere, quam damus, voluerit, aquam ſumat. Simili modo etiam geſtatio atque exercitium, ſiue motus, erit augendus aut minuendus, ad comparationem quantitatis ciborum. Sed eo tempore, quo cibamus, adhibenda quoque animi laxatio, quam διάχυσιν vocant, quæ fiet aut ludicris rebus, aut ioculari facetia: quæ ſingula, artis moderatione adhibita, cyclorum ductu augeri aut minui debent, prædato initio, cui perfectio conſummata reſpondeat.

IↃCLXXVI. Apparet ex hoc ſchemate quod integer cyclus quatuor diatritis conſtet, quorum vni ſi tres tantum dies tribuendos medicus iudicauit, duodecim diebus cyclus abſoluitur: ſi quatuor, ſedecim diebus. Sed nunc in eodem morbo præſcriptum cyclum metaſyncriticum intuebimur, iterum quatuor diatritis conſtantem:

dic 1. cibo abſtinendus æger: tum

2. parua adhibita geſtatione, atque vnctione corporis, vel, ſi paſſio permiſerit, lauacro, rurſum panis dabimus tertiam partem ſolitæ quantitatis, quam ante initium curæ facile accipere atque perferre ſolebat Pulmentum dabimus ſalſum, aſſum vel coctum: dabimus etiam cappares ſinapi madi-

didatas, atque oliuas ex viridi nou
tate meſſas, quas colymbadas vocant
cauentes ea, quæ facile caput implen
atque grauant, porrum, allium, cep
Potum dabimus vinum: & ſi perferr
voluerit æger, in iisdem
3. 4. duobus vel tribus perſeuerabimus
ſin minus, ſecunda die ſalſamentis ad
miſcemus cerebrum vel piſcem. Tun
5. ſequenti die panis detracti parten
tertiam addimus: pulmentum da
mus holus, cerebrum, piſcem tene
rum: hoc
6. 7. 8. tribus vel quatuor ſeruantes die
bus. Tum
9. rurſum aliam tertiam partem pani
addentes, tranſimus ex mediæ quali
tatis materia ad volantum qualitatem
atque in eadem
10. 11. 12. ſimili dierum numero perſeue
rantes,
13. vltimam partem panis addemus
